

*quis suadente, formam præstat, & eam re-
tinet Pontifici præter mortis articu-
lum, ut tenent DD. etiam de quibus n. i.
Castr. Palao mor. part. 6. de censur. disp. 3.
punct. 22. num 2. & 3. & punct. 23.*

26 Et utrum si detur competentia inter Archiepiscopum, aut Episcopum, & Nuntium, aut Legatum à latere circa absolutionem talis excommunicationis ante ejus declarationem, ad quem pertineat absolutio, & an possit à quocunque fieri?

27 Dicendum est Legatos à latere ante declarationem excommunicationis posse absoluere ab excommunicatione incursa à d. cto capite *Si quis suadente, ex cap. Excommunicatis 9. de offic. Legat. &c. Quoad translationem 4. cap. Ad eminen-
tiam 20. de sentent. excommunic. & ibi Bar-
bos. in collect. Cord. d. part. I tract. 2.
quæst. 22. num. 3. Bordon. in miscel. decis.
25. ubi explicat Oliva de foro Eccles. 2. p.
quæst. 38. num. 7. qui etiam loquitur in
Nuntio: Barbos. de jur. eccles. lib. I. cap. 5.
num. 27.*

28 Alij verò Legati, qui non sunt à late-
re, possunt absoluere eos, qui sunt de
ea provincia, ubi illi sunt Legati; non
verò alios, qui ex alijs provincijs ad il-
los deveniunt, nisi hoc ex peculiari pri-
vilegio sit illis concessum, ut tenet
Cord. d. quæst 22. n. 5. Bordon. d. decis. 25.
ubi in Legato à latere tenet contrarium.

29 Legati autem nati non possunt, nisi
expressam facultatem ad hoc habeant,
ex Cordeir. d. quæst 22. num. 6.

30 Dixi dummodò non sit declaratus
excommunicatus à proprio judice, quia
tunc ab eo absolvitur potest, ex Glossa ver-
bo *Præventus*, in cap. *Propositi* 19. de
foro compet. Bordon. d. decis. 25. ad fin.

31 Quod non competit Archiepiscopo,
aut Episcopo, ex dicto textu in cap. *Si
quis suadente*: Oliva d. quæst. 38. num. 7.

32 Nisi in casibus de quibus sigillatim
agit Aug. Barbos. ad dict. cap. *Si quis sua-
dente*, num. 76. & seqq ubi omnes casus
refert, in quibus Archiepiscopus, aut
Episcopus potest. Prosper Fagn. in cap.
Perpendimus, de sentent. excommunic.

C A P U T L X I I I .

Utrum Regulares exempti, cujus-
cunque Ordinis sint, possint
administrale Sacra menta pœ-
nitentiæ sacerdotalibus absque li-
centia Archiepiscopi, aut Epis-
copi dicecesani; aut etiam præ-
dicare, etiam si in aliena diœcē-
si approbati sint: & possit Ar-
chiepiscopus, aut Episcopus
procedere contra Regulares, &
eos removere à talibus ministe-
rijs, eos coercendo præceptis,
& alijs juris remedij; vel etiam
præcipere, ut donec licentiam
intra præscriptum tempus ex-
hibeant, à tali ministerio se ab-
stineant: & quis ad hoc debet
requiri? Et an Archiepiscopus,
Episcopusve Regularem semel
approbatum, sine nova causa
suspendere possit ab ipsis licen-
tijs: & an hoc possit Nuntius
cum potestate Legati à latere,
aut etiam Legatus à latere impe-
dire aut prohibere, & per viam
appellationis cognoscere, con-
tradicente Archiepiscopo, aut
Episcopo?

S U M M A R I U M .

1 Utrum Archiepiscopus aut Episcopus
possit contra Regulares aliquid statue-
re ad hoc ut exhibeant licentias confi-
tendi, & prædicandi: & de alijs quæ-
stionis positionibus.

2 In hac materia confitendi, & prædican-
di potest Archiepiscopus, aut Episco-
pus procedere contra exemptos secun-
dum arbitrium suum, non obstante
contradictione Illustrissimi Nuntii

cum potestate Legati à latere.

- 3 Quando cœptum & finitum sit opus hujus partu circa controversiam & competentiā, de qua in cap. i.

1 **Q**uoad primam partem quæstionis sunt videndi resolventes ex S. Concil. Tridentini decretis & Bullis Apostolicis DD. omnes quos re.ert Frances Pastor. Reg. 2. part. quæst. 9. 10. 11. 20. 21. 22. & per tot. & ipse Frances, quia in hac materia nihil intactum relinquit; ac etiam ultra citatos Doctissimus Episcopus Palafox in lib. intitulato *defensa Canonica por la jurisdicion Ecclesiastica de la Puebla de los Angeles*, solum super hac materia scribens; & post eos etiam optimè Joannes Sanches selectar. disp. 48. per tot. 49. & 50. Villarroel. *Gobierno Eccles. y pacific. part. I. quæst 6. art. 2. & art. 6. Aug. Barb. in collectan. ad Concil. Trid. sess. 5. de reform. cap. 2.*

2 Quoad secundam partem certum est, quod in hac materia potest Archiepiscopus aut Episcopus procedere contra exemptos secundum arbitrium suum, non obstante contradictione Illustrissimi Nuntij cum potestate Legati à late-

re, qui in hoc casu nūnil potest statuere, nec per querelæ viam, nec per appellationis remedium, neque etiam per alium modum, ut in terminis Villarroel. *dict. art. 6. & num. 7. ex Bulla Greg. XV. que incipit Inscrutabile, concessa anno 1622. cuius verba ibi refert etiam Joannes Sanch. select. disp 49 pag. 340.*

Ex quibus resoluta manet hæc quæstio ultima hujus partis, in qua omnia, ni fallimus, diximus, & disputavimus secundum verum factum propositum in primo capite, cuius errores debent à lectoribus indulgeri, attenta temporis brevitate, in qua scriptum fuit; eam enim cœpimus in primo sabbatho Quadragesimæ anni hujus 1673. die 19. Februarij, & finem ei imposuimus in Dominica Passionis Domini Nostri Jesu Christi ejusdem anni, die 19. Martij Festivitatis Sancti Joseph: ac proinde in unius mensis spatio facta fuit, & utinam sit in Christi Domini Nostri gloriam, & in Jurisdictionis Ordinariæ utilitatem, ut cessent controversiae, & in pace jurisdictiones Ecclesiasticae conserventur.





TRACTATVS
DE COMPETENTIIS
INTER ARCHIEPISCOPOS,
Episcopos, & Nuntium Apostolicum cum potestate
Legati à Latere.

PARS SECUNDA.

CAPUT LXIV.

Utrum si Legatus à latere , aut Nuntius cum illius potestate concurrat cum Archiepiscopo , aut Episcopo . eis præcedat , & coram illis debeat thurificari , etiam illis contradictibus : & alia utilia referuntur circa præcedentias Archiepiscoporum , & Episcoporum inter se ; & de remedio ad eas consequendas .

SUMMARIUM.

- 1 Disputare de præcedentia est laudabile , & quare .
- 2 Legati de latere an præcedant alijs Legatis , aut Archiepiscopis : & quid in Nuntijs cum potestate Legati à latere ; & num. 3. & 4.
- 3 Utrum Archiepiscopi præcedant Episcopis : & num. 6.
- 7 Episcopi inter se quando præferantur : & num. 8. 9. & 10.
- 11 Et quid in Capitulo , & num. 12.
- 13 Utrum Patriarchæ præcedant Ar-

- chiepiscopis , aut Episcopis .
- 14 Utrum Episcopus Doctor præcedat Episcopo non Doctori .
 - 15 Utrum Cardinales præcedant Archiepiscopis , aut Episcopis .
 - 16 Utrum Episcopus qui concurrit cum Inquisitore præcedat .
 - 17 Utrum Archiepiscopi , aut Episcopi præcedant Comitibus , aut Marchionibus in consilio Regis , aut Principis , quando ante consecrationem præcedebant Marchiones Archiepiscopis , & Comites Episcopis : & num. 18. & seqq.
 - 22 Ecclesiastica dignitas habet præferentiam .
 - 23 In præcedentia attenditur ordo scripturæ
 - 26 In præcedentijs attenditur consuetudo .
 - 27 Et etiam possessio acquisita per unicum actum : & num. 28.
 - 29 Et ista possessio est manutenebilis .
Quid in illo qui est antiquior in possessione dignitatis , ibid .
 - 30 Resoluitur quæstio cum distinctione : & num. 31.
 - 31 Episcopis successoribus non præjudicat patientia antecessorum .
 - 32 Præcedentiam deperditam à successoribus

ribus possunt recuperare successores in dignitate.

- 33 *Licitum est resistere etiam manu armata contra eum, qui jus præcedentiae infringit.*
- 34 *Quod remedium competat pro præcedentia consequenda, & quomodo defendi debeat ab Archiepiscopo aut Episcopo: & n. 35. usque ad n. 41.*
- 42 *De materia præcedentiae ad varias quæstiones, remissivè.*



- 1 *UM disputare de præcedentia sit laudabile, ut latè exornat Cyriac. forens. controv. 201. n. 1. & seqq. congruum est, ut qui aliquo munere fungitur, ejus autoritatem, & decorem tueatur, & pro virili defendat, l. Observandum, in fine, ff. de offic. Præsidis, l. 1. de postul. Larrea alleg. 51. num. 1. Scan. in prop. Relig. discept. 14. cap. 5. num. 39. & ideo non est otiosa hæc quæstio.*
- 2 *In qua dicendum est, quod Legati de latere sunt principales & digniores, ita ut præsentibus illis nemo eis præcedat, nec alij Legati, ex textu in cap. Volentes, de offic. Leg. ubi Barb. Ceremon. Episcop. lib. 1. cap. 23. pag. 40. ubi primò thurificantur Legati de latere, postea verò Nuntij Apostolici, prout refert Ferro de præcedent. quæst. 29. num. 2.*
- 3 *Et nedum præferuntur cæteris Legatis inferioribus, sed etiam Archiepiscopis, aut Episcopis, & Ordinariis intra suas provincias consistentibus; & quare, tradit Ferro dict. quæst. 29. num. 3. & probatur ex eodem Ceremon. Rom. lib. 1. cap. 23. pag. 40. ubi thurificatur primò Legatus Cardinalis, mox Archiepiscopus, & Episcopus, & Abbas, ut ibi vide re est, & per Ferro ubi suprà: Bordon. theatr. præcedent. num. 206.*
- 4 *Hoc idem dicendum est de Nuntijs creatis cum potestate Legati à latere, ut ex dicto Ceremoniali tradit Ferro d. quæst. 29. num. 4. & seqq. ad alias quæstiones.*

§. I.

Utrum Archiepiscopi præcedant Episcopis.

AD quæsum, an Archiepiscopus, præferri debeat Episcopis, licet in ordinatione Episcopali sint antiquiores; & iterum Primas fit præferendus alijs Archiepiscopis, qui sint in promotione Archiepiscopali anteriores, sic præmitendo respondeo, scilicet quod graduum, & ordinum distributio unitatem in Ecclesia conservat, cap. Ad hoc, 89. dist. & ibi Gloss. & Archidiacon. ubi textus celebris inquit: *Dispensatumis prævisio gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minorum potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impertirent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum: nec enim universitas aliâ poterat ratione subsistere, nisi in se hujusmodi magnus differentiæ ordo servaretur.* Quod verò quæque creatura in una & eadem qualitate gubernari & vivere non poterat, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quare dum sunt Angeli, Archangeli, & alij ordines, liquet quod non sunt æquales, sed in potestate & ordine, sicut notum est, differunt alter ab altero; & sic oportuit aliquos Ministros esse alijs maiores, & majoritatem, superioritatem, & superintendentiam super alios habere, & ad hoc facta est prælatio inter Ministros. Gloss. & DD. in cap. Legimus, dist. 93. Unde per optimè Card. Alexand. dixit in cap. Singula, dist. 89. quod congruentissimè posita est à Spiritu sancto varietas statuum, & officiorum in Ecclesia; quod multipliciter probat. Deinde sicut in gubernatione laicorum convenienter est diversitas officiorum, & administrantium, quod clarum est; sic pari ratione, imò maiori debet esse in Ecclesia Militante, quæ exemplata est ab Ecclesia triumphante, juxta illud Exodi 17. Vide, & fac omnia secundum exemplar, quod tibi

tibi monstratum est. Et juxta illud Apostoli *ad Hebreos 9.* *Hæc omnia exemplaria sunt cœlestium.* Et cum exemplata imitari debeant illud unde exemplantur, sequitur quod quemadmodum Ecclesia triumphans multiplici varietate ordinum & officiorum & dignitatum distincta est, ita Ecclesia Militans multiplici officiorum varietate ordinata est, juxta illud Psalmi 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Et ideo in Ecclesia præter ceteros ordines, Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, constituit Ecclesia alios, qui ut in nomine differunt, ita & potestate, *cap. Cleros, 21. dist.* licet Primates, & Patriarchæ eandem habeant potestatem. *Gloss. verb. Archiepiscop ead. distinct.*

6 Deinde queritur de præcedentia, & prærogativa eundi & sedendi in consistorio Principis, congregationibus, pompis, sive processionibus, ac alijs communibus actibus; & de forma & ordine standi & sedendi inter Episcopos, & Archiepiscopos & Primate. In quo videndum est, an attendendum sit inter eos tempus ordinationis, & prioritatis in dignitate Episcopali, an præferendi sint qui maiorem habent dignitatem, scilicet Archiepiscopalem aut Primallem, et si posteriores sint in ordinatione: & licet *cap. Episcoporum, 74. dist.* dicat quod posteriores Episcopi prioribus non præponantur; hoc verum est si posteriores maiorem dignitatem non habeant; quod si habeant, prioribus præponuntur, *c. Placuit, dist 18.* & sic non est dubium, quod Archiepiscopus, licet in dignitate sit posterior, præferri debet Episcopis, qui in consecratione sunt priores, *dict. cap. Placuit.* Deinde inter Archiepiscopos, & Primates non est quod dubitetur, quod Archiepiscopi subsunt Primalibus & Patriarchis, *c. De persona dist 65. Gloss. 1. in cap. Conquestus 9. quæst. 3. c. Cleros, 21. dist.* Quapropter Primates de jure judices ordinarij sunt Episcoporum provinciæ, *dict. cap. Cleros,* & semper illis præponi debent in omnibus actibus publicis intra Provinciam. Eleganter Balthas. Thomas *tract.*

3. de præemin. & præced. num. 18. & seqq. Cunha de Primat. Brachar. c. 7. Latè de hac materia de Luca *de præminent. dis-* curs. 16. & melius his non consideratis resoluit Ferro *de præcedent. q. 4. de præce-* dent. *Archiepiscoporum, & quæst. 27. de præcedent. Episcoporum.* Salzed. *theatr.* *honor. gloss. 21.* ubi ait de Primatu Ecclesiæ Toletanæ; & ibi Musa, & alij; & quid in Curijs secularibus Cunha de Primatu Brachar. *cap. 7. num. fin.*

§. II.

Episcopi inter se quomodo præ- *ferantur.*

INTER ipsos Episcopos ordo priorita-
tis, & ordinationis, seu consecratio-
nis erit observandus. Ceremon. Roman.
lib. 1. cap. 31 §. In sessione verò. Gam. decis.
1. num. 50. Gratian. cap. 298. n. 63. Barbos.
in pastor. part. 1. tit. 3. c. 8. n. 66. Acunha in
cap. 7. n. 1. dist. 18. num. 2. Ferro de præced.
quæst. 27. num. 6.

Et si alter Episcopus sit prior in data, & consecratione posterior; alter autem consecratione prior, & datâ posterior, hic erit præferendus, ex Ferro *dict. q. 27. num. 6. vers. Et hinc.*

Et quid dicendum est si iste sit titularis? Vide Ferro *d. q. 27. n. 7.* ubi resoluit contra titularem: & *n. 8.* explicat Fran-ces *Eccles. Cathedralib. cap. 21.* quid in Episcopo Consiliario Regio, *num. 179. pag. 364.*

Sed quid erit si inter Episcopos, de quorum præcedentia contenditur, unus majorem habeat dicecesim, & majorem jurisdictionem; an præcedat? Vide Ferro *de præcedent. d. q. 27.* ubi pro utraque parte disputat: & vide Gratian. *forens. cap. 111. n. 75.*

§. III.

De præcedentia Episcopi in Capi- *tulo; & quid si ut Canoni-* *cus assistat.*

Episcopus præcedit omnibus in Capi-
tulo. Ferro *de præcedent. quæst. 27.*
Sed

12. Sed non si ut Canonicus assistat; tunc enim non præcedit antiquioribus. Ferro dict. quæst. 27. num. 2. Mastril. decis 130. de qua re vide Frances de Eccles. Cathedr. cap. 21. num. 178. & seqq.

§. IV.

Utrum Patriarchæ præcedant Archiepiscopis, aut Episcopis.

13. **P**ro Patriarchis contra Episcopos, aut Archiepiscopos resoluti Balt. Thomas dict. tract. 3. num. 15. Ferro de præcedent. quæst. 33.

§. V.

Utrum Episcopus Doctor præcedat Episcopo non Doctori.

14. **P**ræcedere Doctorem non Doctori tenet Hermosil. d. gloss. 2. n. 6. Mastril. dec. 130. num. 21. & 22. vide Frances de Eccles. Cathedral. c. 21. n. 178. & seqq. ubi explicat.

§. VI.

Utrum Cardinales præcedant Archiepiscopis, aut Episcopis.

15. **D**e hac quæstione pro utraque parte est videndus Hermosil. ad Greg. glos. 2. prol. part. 5. num. 42. & seqq. Ferro de præcedent. quæst. 13.

§. VII.

Quando Episcopus concurrit cum Inquisitore in causa hæresis, quis præcedat?

16. **I**nquisitorem præcedere tradit Gratiā. forens. c. 106. num. 38. Hermosil. dict. gloss. 2. num. 61.

§. VIII.

Utrum Archiepiscopi, aut Episcopi præcedant Comitibus, aut

Marchionibus in Consilio Regis aut Principis, quando ante consecrationem præcedebant Marchiones Archiepiscopis, & Comites Episcopis.

Quamvis Archiepiscopi, aut Episcopi Regis Consiliarij post consecrationem debeant sedere in suæ receptionis loco, ut tenent Menoch. cons. 902. num. 73. Balthasar Thom. tract. 3. de præeminent. & præced. num. 362. & melius n. 446. pag. 246. & n. 447. Ferro de præced. quæst. 27. num. 10.

Nam major dignitas superveniens non tollit privilegium majorum dignitatum præcedentium, Cyriac. forens. contr. 201. num. 128. & 202. n. 52. Thom. dict. tr. 3. n. 461.

Attamen multis fundamentis mihi probatur post consecrationem præcedere debere Comitibus Episcopos, & Marchionibus Archiepiscopos, ut tenent & probant Hermosil. ubi suprà, num. 7. ibi: *Limita terriò in Episcopis habentibus officia in Curia Romana, qui præcedent alios etiam antiquiores.* Menoch. cons. 186. n. 14. lib. 2. & Hermosil. sup. n. 121. ibi: *Et habere Sedem post Episcopum.* Balthaf. Thom. tract. 3. de præminent. & præced. n. 10. & 11. & num. 61. ibi: *Episcopus enim primo loco sedet;* & num. 329. pag. 171. ampl. 306. ibi: *Amplia, Episcopos præcedere Proceres, Barones, & Titulares, tam in eorum Diœcesi quam extra.* Et num. 447. ex Capitaq. part. 1. dec. 307. & dec. 351. part. 12. Ferro de præced. quæst. 127. n. 10. & 11. ubi de ratione: Mendo de jur. academic. lib. 1. quæst. 42 num 650. Andrade in lib. intitulato accōens Episcopae, part. 1. cap. 1 num. 3. & cap 17. Cunha de primat. Bracharens. c. 7. & melius num. 13.

Quod probatur etiam multis rationibus. Primò quia cùm Archiepiscopi sint digniores Marchionibus, & Episcopi Comitibus, & majorem dignitatem, & præminentiam, & jurisdictionem habent, juxta ea quæ multis citatis probat Hermosil. gloss 2. prol. part. 5. gloss. 2. num 2. 26. & 119. Thom. dict. tract. 3. n. 173. & seqq. & num. 215. optimè Ferro de

de præcedent. quæst. 27. Andrade in lib. intitulato ac goens Episcopæs, part. 1. cap. 1. num. 3. & 17. Cunha de Primat. Bracharenſ cap. 7.

21 Sequitur eos præcedere in Sedibus Marchionibus aut Comitibus; dignioribus namque prior debetur locus, & etiam majorem dignitatem & jurisdictionem habentibus, cap. Quia tuas, dist. 1 cap. Placuit, juncta Glossa verb. Propinquus, 16. dist. cum multis Hermosil. ubi suprà, num. 1. Valenz. conf. 34. num. 206. Balthaf. Thom. tit. 3. de præemin. & præced. num. 133. ex Menoch. conf. 126. n. 9 & 15. & melius idem Balthaf. Thom. num. 157. & 173. & seqq. & n. 215. Andrade suprà, Frances de Eccles. Cathred. cap. 25. n. 383. & seqq. & cap. 33. num. 85. & seqq. & n. 140. & seqq. Valenz. conf. 34. num. 87 & seqq.

22 Secundò, quia dato quod Comes aut Marchio habeat dignitatem, ultra quam quod dignitas Archiepiscopi aut Episcopi est major, quod sufficit ex Thom. dict. tr. 3. num. 133. quando concurrunt in Regis Consilio præferentiam habere debent Episcopi, aut Archiepiscopi; nam quando dignitas ecclesiastica, & sacerdotalis in Consilio concurrunt, ecclesiastica præfertur, auth. Habita, & ibi DD. C. ne filius pro parte, cap. Solitæ, de maiestate & obedientia Boer. in add. ad tract. Magn. Conf. n. 34. Hermosil. dict. gloss 2. num. 33. ibi. Nam quando dignitas ecclesiastica & sacerdotalis concurrunt, ecclesiastica præfertur, ex Ferro de præced. q. 14. Balthaf. Thom. tract. 3. de præced. & præemin. num. 5. & 67. & num. 327. ubi ampliat ibi: Amplia, Ecclesiasticam dignitatem, licet gradu inferiorem, sacerdotali præferri, licet majori.

23 Tertiò quia cum ordo scripturæ attendi ad præferentiam debeat, ut multis tradit Frances de Eccles. Cathredal. c. 33. n. 168. & 169.

24 In scripturis, & Consilijs semper primo loco nominantur Archiepiscopi & Episcopi, & non Marchiones, sed postea, ut tenet Salazar de Mendoza.

25 Quartò quia in hoc Regno usque ad tempus Archiepiscopi Fracharenſis Illuſtrissimi D. Roderici à Cunha semper

Archiepiscopi præcedentiam obtinuerunt contra Marchiones de consuetudine, ut notorium est.

Et ex hoc fundamento etiam præferiri debent Comitibus, aut Marchionibus; in materia enim præcedentiarum consuetudo sedendi, eundi, standi est semper attendenda: textus in cap. Cum oīm, de consuetudine Hermosil. cum multis d. gloss. 2. num. 10. Balthasar Thomas d. tract. 3. n. 336. fol. 238. Frances de Eccles. Cathredal. cap. 25. n. 376. & c. 33. num. 113. & seqq. Bordon. Theatri præcedent. n. 28. Sousa dec. 101. num. 6. Lucas de præemin. tom. 3. n. 4 p. 134. Larrea alleg. 52. n. 19. Corona de potest Episcop. tract. 3. c. 21. num. 2. Cyriac. contr. 201. n. 165. Maſtril. de Mag. lib. 4. cap. 14. num. 1. Frances de Eccles. Cathredal. cap. 33. num. 182. Fajard. alleg. fisc. alleg. 24. part. 1. num. 32. & 33.

Et etiam possessio acquisita per unicum actum. Bordon. in theatr. præced. num. 45. & seqq. Thomas de præced. num. 258 pag. 164 Capyc. Latr. conf. 43. n. 4. & seqq. ubi contra Ducem: Cyriac. contr. 201. n. 173. Frances de Eccles. Cathredal. cap. 25. n. 378.

Quia jura ista præcedendi & sedendi in Ecclesia, aut coram Rege in honorabili loco, vel habendi scannum, & præferendi tam in rebus & actionibus spiritualibus, quam temporalibus, & illis annexis, possessione acquiri possunt, tanquam quid temporale. Lara de annivers. lib. 1 c. 24. n. 10. & 21. Garsias de expens. cap. 8. num. 5. Valeron de transact. tit. 3. quæst. 6. n. 46. Frances de Eccles. Cathredal. cap. 25. num. 376. & seqq. & cap. 33. num. 182.

Et talis possessio est manutenebilis. Post. de manut. obser. 18. n. 24. & 25. Ciarlin. contr. 110. n. 9 Valeron dict. quæst. 6 n. 46. & 47. & seqq. ubi etiam an super hac materia possit transigere, & apud quem judicem decidenda sit controversia super præcedentijs. Frances de Eccles. Cathredal. cap. 25. n. 369. 372. 409. & cap. 21. n. 176. & seqq. ubi explicat: & n. 183. quod solùm procedit in præcedentia possessa, quia non extenditur de casu ad casum, nec de una re ad aliam: &

vide caput 25. num. 402. & seqq.

30. In hac controversia distinguendum est ex Campanil. divers. jur. Canon. rr. b. 10. 12. cap. 12. num. 11. cum Ferro dict. quest. 27. num. 10. Episcopum de Senatore aut Consiliario factum sedere debere in loco, quem tempore Senatoriaz dignitatis obtinebat, si illam continuare posse cum Episcopatu obtainuerit: si vero jam factus Episcopus ad tale officium fuerit electus, debere antecellere, & praecedere antiquos Senatores, & Consiliarios, & ante illos sedere. Franchis dec. 138. n. 5. Riccius in prax. aurea, resolut. 203. num. 3. in fin Cantelor. de praecedent. n. 20. 21. 22. 23. & 24. Thomas dict. iiii. 3. num. 446. & 447.
31. Et merito, quia si Episcopus assumatur ad consilium principaliter ut Episcopus, veluti si statutum esset, quod talis Episcopus, quicunque fuerit, intret in consilio, & sit Consiliarius, ut hodie videmus, tunc omnes Episcopi sunt Regis Consiliarij; tunc enim absque dubio procedit dicta resolutio, ex dicto Ferro dict. quest. 27. n. 11. & ita observatur: & Illustrissimus Marchio de Nisa praecedit in Consilio status Principis Illustrissimo Archiepiscopo Ullisponensi, quia est magis antiquus Consiliarius, & post electionem loci fuit factus Archiepiscopus, & semper praecedit inter illos de Consilio antiquior in dignitate, & Episcopo Comiti; regulare enim est quod in hoc Regno in dignitatibus, & officijs semper praecedit qui est antiquior in dignitate & officij possessione; & iste talis preferentiam habet in sede & alijs prærogativis, sicut etiam in alijs Regnis. Bordon. in theatr. praeced. num. 45. Sousa de Maced. dec. 101 num. 5 & est decisum n. 13. Thomas de praeced. qui loquitur n. 97. in Duce filio Ducis, pag. 152. & num. 105. in Comitibus: & num. 112. in Comite filio Comitis. Capyc. Latr. conf. 43. num. 8. 9. & 41. Cyriac. forens. contr. 201. n. 69. 137. & 138. etiam in terminis Duceis, & eorum descendientium. Mastril. lib. 4. de Magistrat. tom. 2. lib. 4. cap. 14. n. 59 & 60 & num. 17. & seqq. qui etiam loquitur in Duce, & alijs dignitatibus. Salzed. theatr. honor. gloss. 35. num. 8. & seqq.

ubi etiam quid in Consiliarijs Status Principis.

De qua consuetudine in terminis te-
stantur Sousa dict. dec. 107. num. 7 ubi re-
fert omnes regnicolas. Capyc. Latr. conf. 43. n. 9. Mastril. d. cap. 14. n. 34 & in hoc
Regno est resolutio Regia circa præce-
dentias inter Magnates, de qua Cabed.
arrest...

§. IX.

*Utrum in præcedentia præjudicet
actus antecessoris successori
in dignitate?*

E Piscopis successoribus non præju-
dicat præcedentia antecessoru: cum
alijs Fermosin. tract. 1. de Sede vacant. q.
4. n. 88. & ideo præcedentiam deperdi-
tam à prædecessoribus possunt recupe-
rare successores in dignitate. Menoch.
conf. 902. num. 78. Gratian. cap. 298. n. 9.
Scan. in propugn. Relig. discept. 14. cap. 5.
num. 38.

Et ideo licitum est resistere etiam
manu armata contra eum qui tale jus
præcedentiae infringit. Hermosil. dict.
gloss. 2. in prol. part. 5. num. 114. Apicella
alleg. 13. num. 6. Surd. dec. 59. num. 2. & 3.
Valenz. cont. 92 num. 1. Scan. dict. cap. 5.
num. 39. Frances de Eccles. Cathredal.
cap. 25. num. 399.

§. X.

*Quod remedium competit pro
præcedentia consequenda, &
quomodo defendi debeat ab Ar-
chiepiscopo, aut Episcopo.*

C Ompetere ei qui primum locum
habet, actionem injuriarum, tradit
Barbos. de potest. Episcop. 3 part. alleg. 78.
num. 41. Hermosil. dict. gloss. 2 num. 105.
explicat Thomas dict. tract. 3 de præemi-
nent. & praeced. num. 295 & seqq.

Contrariam opinionem, scil. cet actio-
nem injuriarum eis non competere, sed
ad officium judicis spectare, tradit Va-
lenz. conf. 34. n. 27. Hermosil. dict. gloss. 2.
num.

Pars II. Caput LXIV.

147

- num. 106. 107. & 108. ubi conciliat opiniones.
- 37 Datur etiam eis actio ex lege, ex Hermosil. dict. gloss. 2. num. 109.
- 38 Competit etiam eis interdictum uti possidetus, vel unde vi. Aug. Barbos. dict. alleg. 78. num. 40. Gratian. forens. cap. 298. num. 51. Hermosil. dict. gloss. 2. num. 110. latè Larrea alleg. 51. num. 3.
- 39 Et lite pendente super has controversias præcedentiarum, qui tempore litis motæ reperitur possidere manuteneri debet. Gratian. forens. cap. 210. num. 40. Barbos. dict. alleg. 78. num. 27. Hermosil. dict. gloss. 2. n. 112. & 113.
- 40 Existens in quasi possessione præcedentiae armata manu se defendere potest. Gratian. cap. 210. num. 32. & cap. 298. num. 11. Hermosil. dict. gloss. 2. num. 114. & 116. ubi quomodo acquiratur ista quasi possesio. Thom. infrà statim refrendus: Scano in propugnacul. Relig. discept. 14. cap. 5. num. 38.
- 41 Et præcedit omnibus, Thomas d. tit. 3. n. 258 & seqq. ubi explicat.
- 42 Et hoc casu occupator jus propriæ sedis perdit, ipsoque debet privari, & in loco inferiori poni ad judicis beneplacitum, ex textu in cap. Præcipimus, 93. dist. Valenz. conf. 34. num. 30. Hermosil. dict. gloss. 2. num. 115.
- 43 De præcedentiarum materia ad varias ultra resolutas quæstiones, sunt videndi Fulu. Constant. in l. I. C. de Consulib. lib. 12 num. 20. Rovit. in rubric. de Scholarib. & Doctorib. ex num. 23. fol. mihi 676. D. Amaya in l. fin. Cod. de decurionib. lib. 10. Hermosil. in 5. part. in proœm. addit. ad gloss. 2. Barb. in collect. ad cap. Statuumus 15. de maiorit. & obedient. Lara de annivers. lib. 1. c. 24. Castill. tom. 7 controv cap. 41. n. 26. Thoro in compend. part. 2. verb. Præcedere, fol. 418. Solorzan. de jur. Indian. tom 1. lib. 1. c 16. à num. 45. & in memoriali de plazas honorarias, à n. 192. & in lib. de las precedencias, Capiblanc. de Baronibus tom. 1. sing. 43. Joan. Ruis de Laguna sobre la precedencia de su Fiscalia en el Consejo de Italia, super quo scripsit allegationem Gonzal. in reg. 8. Cancel. in proœm §. 3. & quæst. 3. § 9. Barb. de jur. ecclast. tom. 2. lib. 3. cap. 10. & 3. part. de po-
- test. Episcop. alleg. 78. Ferro tract. de præcedent. Dom. Franciscus de Vergara in suo eruditissimo tract. sobre la precedencia de los Reyes de Hespana, y sus Embaxadores à todos los demas Reyes, præcipue cap. 7. ubi plura notabilia invenies, & plures decisum videbis in Franch. dec. 62. & 138. & 144. Ponte dec. 8. & conf. 16. Cabed. dec. 3. 4. & 5. Francisc. Marc. dec. 808. Gratian. dec. 232. Rovit dec. 65. Alex. Sperell. dec. 76. tom. 2. Don Carol. de Tapiá dec. 21. Capyc. Latr. dec. 154 Reg. Sanfelic. dec. 269 Tondut. post tract. de pensionib. dec. 2. Reverter. dec. 448. ubi Reg. Marinis: vide quoque Peregrin. conf. 3. lib. 2. Camil. de Larath. conf. 2. & 87. Valenzuel. conf. 34. 92. 109. & 201. Capyc. Latr. consult. 43. lib. 1. Capyc. Galeot. tom. 2. contr. 11. 12. & 45. Cyriac. contr. 201. n. 38. & contr. 202. à num. 34 & per totas, Carol. Marant. lib. 3. controv. resp. 52 Larrea alleg. 51. & 53. Arias de Mefalib. 3. variar. cap. 41. à n. 30. Prato discept. for. c. 49. à n. 32. Reg. Marin. lib 2. var. resol. c. 113. ex Politicis tractarunt Petr. Gregor. de Repub. lib. 4. cap. 10. n. 11. Navarrete discurs. 17. Langleus otij semestris lib. 7. c. 7. 8. 9. 10. & 11. Besold. tract. de præcedent. per plura cap. ex Theologis omnes adjungit Rever. Pat. Fr. Jo: n. Martinez Catholic. Majestat. Confessarius in suis Theolog. discurs. 2. & 3. Balthasar Thomas tract. 3. de præminent. seu præcedent. Scan. in propugnac. Relig. discept. 14. cap. 5. Mend. de jur. academic. quæst. 42. lib. 1. Apicella de tutam. paup alleg. 13. Frances de Eccles. Cathedral. c. 21. n. 126. & seqq. & cap. 25. per tot. & cap. 33. Cyriac. contr. 201. Bordon. in theatr. præcedent. ubi multa refert: & Luca theatr. verit. & just. de præminentij: & alij multi, quos ego ipse refereo in commen- tar. ad ord. tom. 1. tit. 1. §. 11. gloss. 78. Soufa de Macedo dec. 103. ubi refert, & dec. 104. DD. Regni.
- C A P U T - LXV.
- Utrum Archiepiscopus possit ferre crucem intra aut extra pro-
- T 2

vinciam, contradicente Nuntio
cum potestate Legati à latere,
aut Legato à latere præsente.

SUMMARIUM.

- 1 *Archiepiscopus electus, consecratus & confirmatus nondum accepit pallio crucem perferrere non potest; sed post acceptationem pallij intra suam provinciam potest.*
 - 2 *Etiam in locis exemptis.*
 - 3 *Sed non extra provinciam, nisi ex speciali Apostolicæ Sedis privilegio.*
 - 4 *Archiepiscopus quando per se ferre potest crucem, debet esse cum uno ligno transverso.*
 - 5 *Nisi adesset Legatus à latere Papæ præsens in Civitate, quia iunc non potest Archiepiscopus uti cruce, nec mazzetta. & quid in Nuntio cum facultate Legati à latere.*
 - 6 *Utrum autem requiratur præsentia vera, ac actualis, & visibilis, vel sufficiat præsentia ficta, & in Civitate, aut loco, ad hoc ut Archiepiscopus non possit per se ferre crucem.*

Licet Archiepiscopus electus , con-
secratus , & confirmatus nondum
accepto pallio crucem perferre non
possit , ut notat Alzed. *de præcellentia*
Episc. I. part. c. 13. n 87. attamen post ac-
ceptionem pallij intra suam provinciam
potest portare crucem , ex textu *in Cle-*
ment. Archiepiscopo , de privileg. Acunha
de primatu Ecclesiæ Bracharensis, c. 6 n. 5.
Corona de potest. Episcopi tract. 2. c. 1. n. 5.
& cap. 2. num. 9.

- 2 Etiam in locis exemptis , ut nota
Quaranta verb. Archiepiscopi authoritas,
vers. 28. Corona ubi supra.

3 Et non extra Provinciam, nisi ex spe-
ciali Apostolicæ Sedis privilegio , cap. i.
ut lite pendente, Corona dicit c. i. n 5.

4 Quam quando per se ferre potest, de-
bet esse cum uno ligno transverso , ut
animadvertisunt Justus Lipsius in n. tu ad
suos de Cruce libros, Cujac. in Paratitl ad
tit. de for. comp. in cap. Sanè, de for. comp.
Alzed. de præcellentia Episcopi , i. part.
c. 10. n. 48.

Nisi adesset Legatus à latere Papæ⁵
præsens in Civitate, aut Cardinalis non
Legatus, quia tunc non potest Archie-
piſcopus uti cruce, nec mozetta, ut tra-
dit reſolutum Barb. *ad Concil. Tridentin.*
ſeff 6. de reformat. cap. 5. n. 17. & de pot. ſt.
Epifcopi alleg. 1. num 47. Fragos. de regim.
Reip. tom. 2 lib. 4. diſp. 10: §. 1 n. 12. Corona
dict. c. 2. n. 9. Ubi allegat Gratian. March.
dec. 129. n. 5. qui etiam loquitur in Nuntio
cum facultate Legati à latere, quod
non obſervatur: nec Gratian. loquitur
de Nuntio, ſed ſolum de præſentia Car-
dinalis aut Legati à latere: de qua re
*Villarroel. *Gouverno Ecclesiastico, y paci-**fico, part. 1. q. 4. art. 3. num. 18 de quo vi-*
*de Aug. Barb. *de jure Ecclesiastic. lib. 1. c.**
*5. n. 22. & 23.**

Utrum autem requiratur præsentia 6
vera, ac actualis & visibilis , vel sufficiat
præsentia ficta , & in civitate , aut loco,
ad hoc ut Archiepiscopus non possit per
se ferre Crucem, pro una,& altera parte
disputat idem Gratian. *dec. 29. n. 11. 12.*
13. & 14. quem vide.

༄༅ ། རྒྱ །

C A P U T L X V I .

**Utrum Legatus à latere , aut Nun-
tius cum ejus potestate possint
concurrere cum Archiepisco-
po , aut Episcopo in collatio-
ne , aut provisione beneficio-
rum , in varijs casibus de quibz
hic ; & quomodo , & quando
pertineat beneficiorum provi-
sio ad Legatum à latere , Nun-
tiumve cum ejus potestate , aut
sine illa , etiam contradicente
Archiepiscopo , aut Episcopo
Ordinario.**

SUMMARIUM.

- 1 Legatus de latere potest in Provincia
sibi decreta beneficia existentia con-
ferre.

2 Ef

- 2 Et potest concurrere cum quolibet Archiepiscopo, Episcopove ordinario, sicut Papa, itaut inter eos sit locus præventionis.
- 3 Nullo ad hoc requisito Archiepiscopi, aut Episcopi consensu; & ibi ampliatur: & num. 4. 5. & 6.
- 7 Amittatur in beneficijs reservatis, & vacantibus in Curia: & n. 36.
- 8 Utrum beneficium resignatum in favorem alius vacet in Curia, ubi primum facta est gratia in forma dignum, an vero jus non abdicetur a resignante, nisi collatione facta a resignatio: & n. 9. & seqq.
- 29 Beneficium vacat in Curia per resignationem, non per obitum.
Prima vacatura per resignationem in Curia impedit secundam vacaturam per obitum: ibid.
Resignans amittit jus per resignationem, licet renunciatio sit nulla, quia vacatura cadit ipso jure, ibid.
- 20 Assertio Pontificis est credenda.
- 21 Beneficium vacat in Curia ob defectum publicationis requisitæ à Constitutione Gregorij XIII de publicanis: & quare num. 22.
- 23 Obligatio publicandi comprehendit non solum resignatarium, sed extenditur ad impenetrantem, qui ob defectum non publicationis impetravit beneficium eodem modo, quo obligabatur ressignatarius antecessor illius.
- 24 Assignatur ratio.
- 25 Ampliatur etiam si declaretur in Bulla provisiones provisum fuisse examinatum, & inventum idoneum; tunc enim non cessat obligatio publicandi, quia est declaratio & non est collatio, sed idoneitatis declaratio; & cum deficit collatio, non dicitur facta provisio.
- 26 Examen Synodalē potest intervenire in omnibus provisionibus, & quibus.
- 27 Examen solum prodest ad hoc ut prævisus verum non examinetur.
- 28 Bullæ solent habere clausulam, Si ita est; quæ ante omnia debet verificari etatis partibus; & ante illius verificationem, & collationem nullum jus adquirit provisus.
- 29 Post justificationem concedenda est immisso, & literis Apostolicis executio.
- 30 Abique verificatione, & publicatione semper beneficium vacat in Curia per primam resignationem, non obstante quacumque possessione: & quare n. 31. 32. 33. & 35.
- 34 Summus Pontifex potest provisionem reservare ad tempus sibi visum.
- 36 Quæ dicantur beneficia reservata.
- 37 Provisio facta de beneficio reservato, aut in Curia à Legato, Nuntio, Archiepiscopo, aut Episcopo, est nulla, & provisor dicitur intrusus: & quando dicatur vacare in Curia, aut sit reservatum, traduntur exempla usque ad num. 44.
- 45 An, & quando Legatus de latere possit providere beneficia jurispatronatus laicorum: & n. 46. 47. & 48.
- 49 Legatus de latere, durante anno novitatus, an possit conferre beneficium novitio, aut unum dare duobus.
- 50 Legatus de latere an possit conferre beneficia manualia, & concedere regressus.
- 51 Legatus non potest conferre beneficia, quæ ad Archiepiscopi, aut Episcopi collationem spectant jure speciali, aut delegato.
- 52 Legatus non potest conferre beneficia litigiosa: & quæ dicantur beneficia litigiosa.
- 53 Legatus an possit conferre beneficia cum clausula Motu proprio.
Nuntius cum potestate Legati à latere non potest conferre beneficia, nisi intra 24. ducatorum quantitatem; & quomodo.
- 54 Utrum Legatus possit beneficia reservare.
- 55 Utrum Legatus à latere possit commendare Ecclesias.
- 56 Utrum Legatus à latere possit nominare coadjutores in perpetuum, & a tempus.
- 57 Utrum Legatus à latere possit unire beneficia, tam singularia, quam regularia.
- 58 Utrum Legatus à latere possit recipere resignaciones, & autoritatem præstare ad permutationes.
- 59 Utrum Legatus possit conferre beneficiis

150 Tract. de Competent. inter Archiep. &c.

- cium Parochiale absque examine.
 60 Quid in Vicarijs.
 61 Legatus an possit derogare regulam de infirmis.
 62 Nuntius an possit providere beneficia extra Provinciam.
 63 Legatus, vel Nuntius Apostolicus destinatus ad Principem, cui subsunt diverse Provinciae, cum potestate conferendi ad quæ loca declinare contigerit, an possit in omnibus Provincijs isti Principi subjectis conferre.
 64 An provisus à Papa de aliquo beneficio præferatur proviso à Legatu à latere, vel Ordinario, & quid in prius possidente.
 66 In gratia Legati Papæ, an declarandus sit valor, & ad quid?

Legatus de latere beneficia in Provincia sibi decreta existentia potest conferre, cap. 1. cap. Præsentis, de offic. Legati, & ibi Aug. Barb. & post Gigas, Rebuf. Gambar. Zecch. Azeved. Azor. Gonzal. Machad. Farin. tradit August. Barbos. de jure Eccles. 1. part cap. 5. n. 28. Fragos. de regim. Reip. part. 2. lib. 4. disp. 10. §. 4. n. 103. Hurtad. de examin. Synodalib. tom. 1. tract. 12. cap. 1. resol 28. Kochier. ad reg Cancellar reg 33 de triennali, num. 77. Tondut. de benefic. cap. 70 per tot. Solorz. de jure Indiar. lib. 2. cap. 4. n. 14. Prosper Fagn. in cap. Cum olim, n. 29. de maior. & obedient. pag. 514.

Et potest concurrere cum quolibet Archiepiscopo, Episcopóve ordinario, sicut Papa, itaut inter eos sit locus præventioni, cap. Si à Sede Apostolica, de præbend. in 6. Gloss. fin. in cap. 1. de offic. Legati, lib. 6. Garcia de benefic part. 5. c. 1. n. 40. Kochier. de jurisdictione in exemplis 2. part. q. 2. n. 18. Gregor. Quintanad. Rebuf. Gonzal. Azor. Piassec. Rub. quos refert Barbos. dict cap. 5. num 29. Fragos. dict. §. 4. d. n. 103. Kochier ubi supra, & gloss. 11. num. 16. ubi quod etiam verum est in sex mensibus Ordinarij: Tondut. dict. cap. 70. per tot. ubi etiam idem tradit, & multa refert Solorzan. ubi supra, Prosper Fagn. ubi proximè.

Nullo ad hoc requisito Archiepiscopi, aut Episcopi consensu, cap. Dilectus,

de offic. Legati, ubi Barb. & dict. num. 29. ubi etiam quid ad hoc requiratur: & n. 30. ampliat primò procedere in beneficijs spectantibus ad collationem exemptorum, ex Cosmo, Gambar. Selva, Corras. Garcia, & ultra eos tradit Fragos. de regim. Reip. part. 2. lib. 4. disp. 10. §. 3. n. 62. & num. 56. quod non potest conferre beneficia devoluta ex negligentia Prælati exempti.

Ampliatur secundò secundum idem 4 Barb. num. 32. procedere etiam in beneficijs, quorum collatio fit ad Sedem Apostolicam devoluta, ex cap. penult. de præbend. gloss. fin. in cap. 1. de offic. Legati in 6. & ex Villadieg. Gambar. Gregor. Selva, Zecch. Azor. Garcia de benefic. 5. part. cap. 1. num. 21. Cæsar Hierarch. Eccles. part. 1 disp. 3. § 2. num. 7. & ultra eos Fragos. de regim. Reip. dict. cap. 3. num. 64. ubi etiam tractat Legato non concurrere tempus sex mensium ad conferendum, sicut alijs Ordinarijs: & n. 65. & seqq. multa tradit circa materiam.

Quod procedit etiam si beneficia devoluta sint ad Papam ex propria negligentia Archiepiscopi, aut Episcopi, ut tenet Puteus decis. 266. altas 258. lib. 2. Barb. dict. cap. 5. num. 33. Ubi præstat rationem, quia sicut quando devolvitur ad Archiepiscopum ex propria negligentia, Legatus concurrit cum eo; ita quando devolvitur ad Papam, etiam Legatus jure legationis concurrit cum Papa: & num. 34. quod Legatus non potest conferre beneficia devoluta ex negligentia Prælati Regularis exempti, quæ Episcopus confert auctoritate Apostolica, ex Clementina 1. de supplenda negligentia Prælatorum, & ibi multos refert affirmantes, posse tamen Legatum illa beneficia conferre ante devolutionem ad Archiepiscopum, aut Episcopum; & post devolutionem ab Archiepiscopo, aut Episcopo ex ejus negligentia factam ad Papam: de qua re Fragos. dict. §. 3. n. 56. & 57.

Et procedit etiam, quamvis devoluta 6 sint ad Prælatum extra suam Legationem, ex Garcia de benefic. dict. 5. part. cap. 1. num. 27. ubi num. 20. subdit è converso Legatum non posse conferre beneficia quæ

quæ essent extra Provinciam, & per deviationem, vel alias spectarent ad collationem alicujus Archiepiscopi aut Episcopi, Prælative de provincia, ut prosequitur idem Barbos. *dict. cap. 5. n. 35.* & 36. & n. 37 ubi afferit procedere etiamsi beneficia intra Provinciam existentia spectarent ad collationem clericorum alterius Provinciæ: & n. 38. inquit procedere etiamsi beneficia sint jurispatronatus Ecclesiastici, ex textu *in cap. Dilectus, de offic. Legati, &c. Cum dilectus, de jurepatronatus* & allegat Lambertin. *de jurepatronat.* Roch. Rebuf. Gambar. Coivar. Zecch. Cæsar. Garciam: & n. 39. & 40. ampliat ut possit Legatus de latere ista facere existens etiam extra provinciam, ex Glosa *in cap. Nemo, de offic. Legati, Gambar. Azor. Garcia dict. 5. pars. cap. 1. num. 3.*

7 Quod tamen limitatur, ut Legatus à latere non possit conferre beneficia reservata. Gloss. finalis *in cap. 1. de offic. Legati, lib. 6.* Fragos. *dict. §. 3. n. 70.* Barbos. *dict. cap. 5. n. 42.* Garcia *dict. cap. 1. n. 53.* Riccius collectan. 1974. Cæsar Hierarchæ Ecclesiast. *disp. 3. §. 2 num. 9.* Prosper Fagn. *in cap. Ex parte, n. 32. de privileg. pag. 70.* & *in cap. Dilectus, n. 11. de præbend.* & n. 12. pag. 127.

Etiam in sex mensibus alternativæ Archiepiscopi, aut Episcopi illam habentis, propter decretum irritans, quod ligat Legatum etiam à latere: & quare tradit Barb. *ubi suprà, & n. 43.* addit cum Garcia, quod si Legato concessa sit facultas conferendi beneficia qualitercumque vacantia, non poterit conferre beneficia reservata, sive generaliter, sive specialiter: & quod si Legatus habeat facultatem conferendi beneficia reservata, non propterea potest conferre beneficia vacantia in Curia, nisi specialiter expressè sit concessum: & ultra quos refert, tenet Fragos. *dict. §. 3. n. 77.*

8 Quando autem beneficium dicatur vacare in Curia in terminis propositis, & vacare etiam per resignationem, venit resolvendum ex §. sequenti.

§. Unicus.

Utrum beneficium resignatum in favorem alicujus, vacet in Curia ubi primùm facta est gratia in forma Dignum; an verò jus non abdicetur à resignante, nisi collatione facta resignatario? Ac etiam de publicatione requisita à Gregoriana constitutione.

A Resolutione propositæ quæstio-9 nis pendet decisio illius, nempe an per mortem resignantis in terminis propositis vacet beneficium, non quidem ad effectum, ut alteri, resignatario vivente, & conservante jus suum ad illud beneficium, conferri possit; nam extra controversiam est, alteri non posse conferri: sed ad effectum, ut cessante jure resignatarij, vel per mortem, vel per reprobationem, dicatur beneficium vacasse per mortem resignantis, ac per consequens ejus provisio pertineat ad Legatum à latere, vel ad eum cui competit providere beneficium vacans per obitum; an verò dicatur beneficium vacasse per resignationem, & sic in Curia, ac per consequens ejus provisio debeat pertinere ad Papam. Pendet quoque ab eadem quæstione principalí illa quæstio, utrum mortuo, ut dictum est, resignatario ante collationem, remanere debeat, vel non resignans in beneficio, quæ si non sit vacans; vel per contrarium dicatur vacasse per resignationem facta gratia resignatario, & de medio, ut dictum est, eo sublato, de qua materia sunt videndi Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 18.* & ibi Barb. *cap. Transmissa, & cap. Super hoc, cap. Admodum, de renunc.* & ibi Barb. & Fagn. Loter. *de re benefic. lib. 3. q. 1 num. 16.* & seqq. & q. 14 per tot. & num. 27. & seqq. Valenz. *conf. 128. n. 66. 82.* & seqq. DD. *in cap. Susceptum, de rescript. lib. 6.* Barb. *alleg. 72 n. 9.* Corona de potest. Episcopi 2. tract. cap. 1. n. 1. & tract. 3. cap. 19. num. 1 Garc. de benefic. part. 11. cap. 3 per tot. & seqq. Clem. Merlin. *dec. 339. n. 19.* & seqq.

& seqq. Fermosin. ad lib. 2. Decretal. tom. 2. de foro compet. in tit. Praxis Trib. sub cap. fin. de libel oblat. q. 4. num. 22. & ad rubric. de renunc. & in cap. quod in dubijs 8. quest. 1. & seqq. & per tot. Frances de intrus. q. 94.

10 In dicta ergo principali quæstione inveniuntur doctrinæ confusæ, & contrariæ; nam Garcia de benefic. part. 2. cap. 1. num. 126. juncto num. 129. docet quod per resignationem etiam conditionalem, & in favorem, etiam in forma dignum (qui sunt proprij termini nostræ quæstionis) omne jus in beneficio competens amittitur, ut tenent suprà citati, & probat num. 144. ex eo, quia in literis resignationum dicitur beneficium vacare à principio resignationis, quamvis resignatio sit conditionalis. Et ibidem adducit decisionem Rotæ, in qua fuit obtentum, per resignationem in favorem in forma dignum, fuisse abdicatum jus à resignante, præsupposita habilitate resignatarij, etiam ante examen, & collationem, & aliás: ubi dicitur per mortem resignatarij in forma dignum vacare beneficium, si est dignus, quamvis non fuisset adhuc examinatus, nec sibi facta collatio. Unde deduco ego, quod sequitur quod beneficij jus jam non erat in resignante, saltem si resignatarius erat dignus.

11 Verum hæc duo posteriora loca potius confusionem producunt, quām probationem principalis resolutionis. Nam non video qualiter possit practicari, ut habeatur, & judicetur dignus, qui non adhuc fuit examinatus, & multò magis qui per mortem de medio sublatus jam nequit examinari; nec qualiter possit sine collatione effectuata tale jus acquiri resignatario, ut per ejus mortem dicatur beneficium vacasse.

12 Non etiam probat intentum quod scribit num. 130. dicens factâ resignatione in forma dignum, non vacare beneficium per mortem resignantis; nam illius dictum non est fundatum, quia scilicet jam vacans esset per resignationem, sed quia alteri, nisi resignatario conferri non potest: quod quidem dictum in consensu confundit hujus rei intelligentiam;

nam quæstio non est, utrum alteri conferri possit, sed an jam esset vacans per resignationem, an vacet nunc per mortem resignantis ad alios effectus, si de medio sublatus sit resignatarius, vel per mortem, vel per alium modum; vel tandem an vacet ad effectum, ut si sit ipsi postea facta collatio videatur provisus de illo beneficio vacante per obitum, vel per resignationem, quod plures effectus producere poterit.

In contrarium autem, quod scilicet 13 non vacet beneficium per resignationem, nisi sequutâ collatione resignatario factâ, in terminis propositis sentit idem Garcia sibi contrarius ubi suprà, num 139. dicens non abdicari jus à resignante, imò hunc remanere titularem donec resignatario acquiratur beneficium. Idem probat apertè Barb. de claus. claus. 66. n. 4. & 5. dicens resonantem in terminis propositis non cadere à jure suo, nisi, & donec Literæ Apostolicæ fuerint executæ, & quæsitum beneficium resignatario per collationem.

Quid tenendum? Ego quidem magis 14 puto beneficium vacare per resignationem acceptatam in terminis propositis; non enim video qualiter possit fieri gratia de beneficio illo alteri, scilicet resignatario, nisi suppositâ verâ vacatione; quod satis exprimitur in literis resignationum.

Neque obstat, dici posse, non esse intentionem resignantis dimittere beneficium, nisi acquiratur resignatario cum effectu. Nam respondetur, id non sic exprimi, nec videri requisitum, nisi tantum ut ipsi fiat gratia à Papa, non autem ut effectum sortiatur; & est hæc conditio imposta à resignante, non ut ipsi fiat collatio, & interim non dimittat beneficium; quia implicat, ut dicebamus, quod resignatario fiat gratia beneficij ut vacantis, & tamen verè vacans non sit.

Neque dicatur esse vacans ad effe- 16 ctum, ut possit conferri resignatario, non autem ut beneficium sit abdicatum à resignante, nisi per collationem factam resignatario. Nam respondetur, non dari hujusmodi statum mixtum, sive ano-

malum, alias potius diceretur consensisse, ut beneficium transferretur in Titulum, quam illud resignasse, ut Titio conferretur.

17 Neque tandem dicatur, non passim videri resignantem retinere beneficium, & haberi pro Titulari usquequod collatio fit resignatario. Nam id sicut in utilitatis, & necessitatis causâ, ne beneficia, præcipue curata, destituta maneant, & magis toleratus, quam verus beneficium remaneat.

18 Neque denique moveant aliqua exempla, in quibus resignantes, mortuis resignatariis, ante collationem remanserunt in possessione beneficij; nam id non probat ita esse de jure, sed solum posse allegari exempla, si causâ cognitâ res fuisset decisa.

19 Videtur ergo beneficium verè vacasse per resignationem, ut dicunt jura & DD. citati n. 9. ac ut sic vacans providendum, quando resignatario mortuo, sive alias ejus jure cessante, agetur de provisione beneficij: pro qua parte facit optimè doctrina Ludovici Gom. *ad reg. Cancelli super reg. de infirm. resign. q. 30.* ubi resolvit beneficium resignatum per infirmum, eo postea decedente intra 20. dies, verè vacare per resignationem, non per obitum, ex cap. *Transmissa, cap. Super hoc, de renunc. Posth. de manut. dec. 452. num. 7. 8. & 9.* Prima enim vacatura per resignationem in Curia impedit secundam vacaturam per obitum, cap. *Susceptum, de rescript. m. 6. Farin. in posth. tom. 1. dec. 562. num. 1.* quia cum per resignationem amitteret jus, ut dicunt citati num. 9. & cap. fin. de renunc. Parif. *de resign. lib. 1. quæst. 5. num. 37. & 38.* jam tempore mortis non habet resignans beneficium, quod vacet; jam namque dicebatur vacasse in Curia, ut multis cito tenet Ferimosin. in cap 2 de rest. spol. quæst. 2. num. 2. licet renunciatio haberet nullitatem. Barb. *alleg. 57. num. 33.* Garc. *de benefic. cap. 3. part. 11. num. 306.* aut simoniam: Tond. *de pens. quæst. 62. n. 15.* & seqq. quia vacatura cadit ipso jure: Garc. *de benefic. part. 6. cap. 2. num. 229.* & part. 11. cap. 5. n. 62. Valenz. *conf. 128. num. 66.* & n. 82. & seqq. ubi omnia tra-

dit circa dictam vacaturam, & reservationem in Curia, & per tot et si in renunciatione nulla aliud dicat Garc. 5. part. cap. 1. num. 154. Barbos. *de jur. eccles. lib. 1. cap. 39. §. 3. num. 40. & vot. 111. num. 38.* Sanch. *conf. mor. lib. 2. cap. 3 dub. 36. num. 7.* licet dicat, quod regula sit quod collatio facta virtute predicitæ resignationis invalida sit, & beneficium censeatur vacare per obitum. Nam ut ait idem Gom. *fictiæ, & interpretatiæ, non vere vacat per obitum, sed vere vacat per resignationem.*

Quod patet; nam si supervivat resig- 20 nans, collatio facta resignatario valida est: ergo beneficium erat vacans: quod si vacans non esset, invalida foret collatio, nec validari posset ex superviventia resignantis ultra 20. dies. Similiter ergo dico ego, si beneficium resignatum in favorem non vacasset per resignationem, non posset Papa de illo disponere in favorem resignatarij, nec alias, neque pendere potest vacationis modus ab eventu, ita ut si conferatur cum effectu resignatario, dicatur verè vacasse per resignationem; sin minus, non vacasse, imò remanere apud resignantem, vel eo mortuo vacasse per obitum, quia solum vacat in Curia, ut semper solet declarari à Summo Pontifice Domino nostro in resignatarij bullis, cuius assertio semper credenda est, ad eo quod non admittat probationem in contrarium. Textus est in Clement. *Literis, de probat Flam. de resign. lib. 8. quæst. 11. num. 1. & seqq.* Tondut. *de pens. dec. 7. n. 1. & dec. 8. num. 2.* Themud. *dec. 258 n. 6 & dec. 273. num. 9.* & 10.

Sic etiam vacat in Curia ob defectum publicationis requisitæ à Constitutione Gregor. XIII. de publicandis; cuius tenorem refert ad literam Flam. *de resignat. lib. 11. in præf. num. 5.* de qua necessitate publicandi, & intra quod tempus fieri debeat, & quibus requisitis, & quomodo, sunt videndi Donat. Anton. de Marin. *resol. quotid. cap. 308.* Tondut. *de pens. cap. 5.* Clem. Merlin. *dec. 176. num. 2. & dec. 329.* idem Parif. *dict. num. 5. & lib. 11. quæst. 7. num. 34.* Loter. *de re benefic. lib. 3. quæst. 21. & num. 26. & quæst. 14.* Barbos.

154 Tract. de Competent. inter Archiep. &c.

de jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. num. 197. & seqq. Garc. de benefic. cap. 3. n. 274 & 398. Fermosin. tom. 2. de judic. pag. 52. Rojas. decisione 61. Paul. Rub. dec. 92.

22 Ex cuius dispositione magis probatur nostra resolutio, quia ut patet ex illius verbis, ob non publicationem non inducitur nova vacatura, sed tantummodo annullatur, & resolvitur gratia provisiva facta resignatario, manente primâ vacaturâ per resignationem in suo vigore, ut patet ex litera dictæ Constitutionis Gregor. XIII. & resoluit Loter. *de re benefic. lib. 3. q. 21. num. 26* Flam. *dict. lib. 11. q. 7. n. 34 cum seqq.*

23 Quæ obligatio publicandi comprehendit non solum resignatarium, sed extenditur etiam ad impetrantem, qui ob defectum non publicationi impetravit beneficium eodem modo, quo obligabatur resignarius antecessor illius, ut sunt verba dictæ Constitutionis in §. *Illorum.* Ita resoluunt Flam. *de resign. lib. 11. quæstione 4. n. 25. & 26. & q. 7. n. 53.* Loter. *de re benefic. lib. 3. q. 21. n. 31. ex Seraphin. dec. 1064. n. 4 & 5. Garc. de benefic. part. 11. cap. 3. n. 301. Rot. apud Merlin. dict. dec. 329. n. 10. & seqq. Fermosin. ad lib. 2. decret. tom. 2. de foro comp. in tit. praxis Trib. super, cap. fin. de lib. oblat. q. 4. num. 22.*

24 Ratio est, quia cùm sit subrogatus loco resignarij, ea omnia tenetur facere, & observare, ad quæ resignarius tenebatur, ut prosequitur Flam. *dict. quæstione 4. num. 26. Loter. dict. quæst. 21. num. 31.*

25 Etiam si declaretur in bulla provisionis, provisum fuisse examinatum, & inventum idoneum; tunc enim non cessat obligatio publicandi, quia hæc declaratio non est collatio, sed idoneitatis declaratio: & cùm deficiat collatio, non dicitur facta provisio, ut per hæc verba tradit in terminis Murga *part. 1. quæstione 2. de divis. benefic. §. 1. divis. 2. numer. 28.* faciunt quæ tradit Garc. *de benef. 4. part. cap. 1. num. 25.* ubi quod examen est requisitum, & debet præcedere collationem.

26 Et meritò, quia examen Synodale per concursum potest intervenire in omni-

bus provisionibus factis à Summo Pontifice, ut solet fieri in omnibus vacatulis, tam per obitum, quam per concursum in partibus, aut in Curia, juxta decretem S. Concil. Trid. *sess. 24 de reform. cap. 18.* & ibi Barbo. *in collect. num. 21. 26. & 27.*

Et examen factum in hoc casu solum prodest ad hoc, ut provisus iterum non examinetur. Massobr. *in praxi habendi concursum, prælud. 3. dub. 3. num 5. Hon. bonus de examine Ecclesiæ. tract 2. cap. 3. q. 31 in fin. ubi sic servari in Curia testantur, prout refert Fermosin. ad rubric. de ætate, & qualitate, & in cap. fin. q. 2. n. 53. & 60. ubi in specie de proviso à Papa in Curia Romana.*

Et ideo dictæ bullæ solent habere clausulam, *si ita est*, quæ ante omnia debet verificari, citatis partibus, ut in terminis tradit Dom. Francisc. de Rojas *dec. 102. n. 4.* & ante illius verificationem, & collationem nullum jus adquirit provisus, ut tenet Fermosin. *ad rubric. de renuntiat. in cap. quod in dubijs 8. quæst. 1. num. 12.*

Solum enim post justificationem, & verificationem gratiæ concedenda est immissio, & Literis Apostolicis executio, juxta textum *in cap. Si Capitulo*, ibique Gloss. *in verbo Exequatur, de concessione præbendæ in 6.* per quem multoties judicatum in Sacra Rota Romana tradit Tondut. *post tract. de pensionib. dec. 6. in princ. & dec. 7. num. 1. Burat. dec. 941. n. 5.* Durand. *dec. 59. num. 1. Rota apud Paul. Rub. decif. 27. & 92. n. 11. & dec. 187 n. 1. & 17. Clemens Merlin. dec. 193. num. 2. & dec. 281. num. 2. & dec. 467. num. 6. & dec. 543. n. 10. & dec. 698 n. 1. & dec. 819. n. 1. Rota apud Ottobon. dec. 135. n. 8. & dec. 172 n. 1. Anton. ab Ecclef. obs. 193. Rojas dec. 692.*

Et ideo absque verificatione, & publicatione semper beneficium vacat in Curia per primam resignationem, non obstante quacunque possessione, triennali, aut decennali; à dicta enim Constitutione Gregoriana est reprobata, prout testatur Flamin. *de resign. lib. 11. q. 6. n. 92. & 93. & 112. Aug. Barb. lib. 3. c. 15. n. 197. & 198.* quare præferentiam habet provisus,

visus, qui publicavit, quamvis in data sit postremus, & possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita, ut sunt verba dictæ Constitutionis, super quibus esse casum valde notabilem, asserit Flamin. *de resign. lib. 11. q. 4 n. 27. in fin.*

31. Et ideo optimo jure defendimus solum per primam resignationem acceptatam à Summo Pontifice vacare beneficium in Curia, & non per obitum, licet resignans postea è vita decebat; tunc enim non vacat per obitum, ut diximus, sed per primam resignationem, ex textu *in cap. Ex transmissa, de renunciatione,* tradit Loter. *de re beneficiar. lib. 3. q. 14. n. 50. & seqq. junct. n. 58.*

32. Et meritò, quia gratia seu provisio suæ Sanctitatis non est vacaturæ causa, sed solum resignatio, ut tradit Loter. *de re beneficiar. lib. 3. quæst. 14. num. 27. & seqq.*

33. Quare iste provisionis actus jam vacationem supponit, & præcedere per renuntiationis suæ Sanctitatis acceptationem; est namque consummatio vacaturæ jam præcedentis, ut *ex cap. Si absenti, de præbend. in 6.* tradit Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 15. §. 1. n. 15. & 33. & § 2. n. 31.* Garcia *de benef. part. 4 cap. 2. n. 2.* Loter. *de re beneficiar. lib. 3. quæst. 1. n. 16. & seqq.*

34. Et ex hac ratione istud jus est separatum, & à vacatura distinctum, quia Summus Pontifex potest provisionem reservare ad tempus sibi visum, ex Loter. *de re beneficiar. lib. 4. q. 14 n. 38. & 49.* & potest resolui tale jus casu quo resignatus non sit habilis, aut idoneus; & etiam casu quo non observaverit Constitutiones Canonicas, sub quarum conditionibus unus est providere, ut tradit Loter. *dict. quæst. 14. num. 40. juncto num. 57.*

35. Adeo procedit supradicta vacatura in Curia, quod habet locum etiamsi renuntians protestetur, se velle dominium, & possessionem retinere, donec Papa eam acceptaverit, gratiamque beneficij in personam illius, in cuius favorem renuntiatio fit, contulerit; nam in hoc etiam casu si renuntiationem Papa

acceptaverit ad eum effectum ad quod facta fuit, beneficium omnino vacat in Curia per talem renuntiationem, ex textu *in cap. fin. de renuntiat.* Puteus *decis. 158. sub n. 3. lib. 1.* Oldrad. *conf. 282. n. 2.* Rebuff. *in prax. beneficiar. lib. 1. tit. de resignatione conditionali,* Paris. *de resignat. lib. 1. q. 5 n. 37. & 38.*

Et ideo Legatus de latere non potest 36 conferre tale beneficium vacans in Curia, nisi specialiter, & expressè sit ei concessum; nec beneficia reservata, ut supra diximus ex August. Barb. *de jur Eccl. lib. 1. cap. 5. num. 42. & 43.* ad quod etiam venit disputandum, utrum beneficium intrusi sit reservatum, & vacet ex causa intrusionis; & cum illius collatio pertineat ad Sedem Apostolicam, an tale beneficium veniat in reservatione: quam quæstionem latè disputat Frances *de intrusione quæst. 76. & quæst. 77.* Disputat etiam, an si Papa reservat beneficia per verba genitivi casus, putà Petri, vel Pauli, an veniant beneficia in quibus sunt intrusi, & sic an sola possessio seu detentio debeat attendi. Et *quæst. 78.* tractat, an si Papa reservaret beneficia quæ obtinet Titius, cum vacaverint, seu ea vacare contigerit, veniant etiam beneficia in quibus Titius est intrusus: & ibi multa tradit circa reservationem.

Et ideo si Legatus de latere, Nun-37 tiusve, aut Ordinarius conferat talia beneficia reservata, & vacantia in Curia, erit provisus intrusus ex defectu potestatis, ut tradit Riccius *resolut. 224. n. 2. vers. 8.* Frances *de intrusione quæst. 2 n. 16.* optimè Tondut. *de benef. cap. 3. §. 6. n. 19. & 20.*

Quia non possunt conferre beneficia 38 Sedi Apostolicae reservata, & talis obtinens dicetur intrusus; existente enim reservatione, nullus inferior præter Papam conferre potest; nam ejus collatio specialiter ad Pontificem pertinet, ut expressè deciditur *in cap. 2. de præbend. Gloss. in Clementin. Si de beneficio, verb. Sive ad nos, eod. tit.* Garc. *de benefic. 5. part. cap. 1. num. 68.* Barbos. *in Pastoral. part. 3. alleg. 57. num. 22.* Loter. *de re beneficiar. 1. part. lib. 2. quæst. 27. num. 14. & seqq.* Frances *dict. quæst. 2. numer. 18.*

156 Tract. de Competent. inter Archiep. &c.

& 19. ubi quod si Ordinarius provideat beneficium, quod vacavit in Curia, & talis provisus illud administret, & possideat, erit intrusus, quia titulum coloratum non habet, ut notavit Valasc. *consuli. 79 num. 7. & seq.* Loter. *de re beneficiar. lib. 2. q. 26. n. 7.*

39 Nam in dict. cap. 2. de præbend. in 6. in fin. additum fuit decretum irritans, cuius natura est annullare, irritare, & incolore quicquid apponitur dispositioni supra quam cadit, ut per Loter *dict. part. 1. lib. 2. quæst. 14 num. 99. cum plurib. idem Frances in pastorali intern. 1. part. tract. 4. quæst. 2. n. 10. & 11.*

40 An autem sit differentia quoad reservationem, si beneficium vacet in Curia, vel in Sede, & in quo differant, tradunt Garcia de benefic. 5. part. cap. 1. num. 387. Loter. *dict. lib. 2. quæst. 27. num. 4. Frances dict. q. 2. num. 20. cum quo num. 23.* sunt advertenda sequentia ibi.

41 Insuper advertendum est, hanc intrusionem non solum incurri in beneficijs generaliter, & specialiter reservatis, ut in dict. cap. 2. sed etiam in alia quacunque reservatione in corpore juris clausa, de cuius materia, & de intellectu illius textus in dict. cap. 2. latè agit Loter. in dict. lib. 2. quæst. 27. licet enim Gloss. in regul. 38. Cancellariæ, dixerit unicam tantum esse reservationem generalem, illam videlicet de qua in dict. cap. 2. de præbend. in 6. Milif. tamen in suo repertorio, verbo *Reservatio*, §. final. in fin. plures esse defendit, eumque sequitur Gigas in Epitome de intruso, n. 83. vers. Quæres an unica, dicens hac opinionem aperte probari per textum regulæ Cancellariæ 33. de triennali possessione; nam ibi dicitur: *Ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa, &c.* Ex quibus verbis colligitur, non unicam tantum, sed plures reperiri. Et quamvis Glossator ad dictam regulam 33. in publicatis per sanctæ memoriae Innocentium VIII. penes Ludovicum Gomezium pag. 21. in impressis Venetijs de anno 1546. § Item in quantum hic dicitur pacificè, vers. In quantum hic dicitur ex aliqua reservatione generali, &c. defendat unicam tantum esse reservationem generalem in corpore juris clau-

sam, & voluerit prædicta verba regulæ esse apposita ex errore Abbreviatorum, & ex eo omnes successores eundem stylum sequuti fuerint, ut refert Glossator dicens ita factum ex Nicolao de Castello Abbreviatore illorum tempore; mihi tamen difficile videtur, cum non sit credibile per tot curricula temporum errorrem tantum non fuisse sanandum, cum omnes sequentes Abbreviatores usque nunc eisdem ferè verbis dictam regulam 33. pronuntiaverint, & publicaverint. Quapropter nulla datur evasio prædictis verbis, ex quibus clarè constat, plures dari reservationes generales in corpore juris clausas, hancque sententiam verissimam judico, relicta Milif. & Gigante ubi suprà, quibus arridet Æneas de Falc. in tract. de reservationibus, in 2. part. principali, n. 12. & alijs relatii per Ludovic. Gomez. ad regul. de triennal. possess. ex publicatis à Clemente VII. quæst. 31. vers. Secundus igitur articulus. Ubi enumerat septem alias reservationes in corpore juris clausas, præter illas quas alij declararunt, ubi videre poteris, ne longius in hoc divertamur; quamvis alias ad multa sit utile, & necessarium, videlicet ad facultates Legatorum, quibus attribuitur potestas providendi beneficia quomodolibet reservata, exceptis illis quæ sunt affecta reservatione in corpore juris clausa; quæ quidem non unica, sed plura sunt: & ideo verba dictæ regulæ 33. non per errorem, ut dixit Glossator, sed cordate sunt apposita.

Idem erit in Legato à latere, aut Ordinario conferente beneficium ejus, qui obiit prope Curiam Romanam per duas dietas, vel si vacet per obitum Curialis, qui ex causa recreationis, vel infirmitatis se contulit ad locum Curiæ vicinum, etiam per duas dietas legales, animo Romam redeundi: nam in utroque casu provisus ab Ordinario, aut Legato, erit intrusus, cum talia beneficia dicantur vacare in Curia, vel apud Sedem, & consequenter sunt reservata, ut expresse deciditur in cap. Præsentि 34. de præbend. & dignitatibus. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 43. n. 45. Garcia de benefic. 5. part. cap. 1. n. 70.

n.70. Vivian. in prax. jurispatronat. lib.4. cap 5. num. 13. August. Barb. in collectan. d. cap. Præsentii, num. 3 ubi allegat varias Rotæ decisiones, & latè disputat qui dicantur Curiales ad effectum hujus reservationis : & in collectan. ad cap. Licet Ecclesiam eodem tit. in 6. Frances dicit q. 2. num. 25. & quæst. 3. num. 9 ex Valasc. consult. 79. num 7. & seqq. quem refert & sequitur Barbos. de potest. Episcopi alleg. 57. num. 20. & seqq. ubi latè disputat quando dicantur beneficia vacare in Curia.

44 Idem erit in conferente beneficium resignatum in Curia, quia illud obtinens dicitur intrusus, licet enim non dicatur vacare propriè apud Sedem, vacat tamen in Curia, etiamsi renuntians in ea non sit præsens, sed resignatio per procuratorem fiat, ut per Gloss. in Clementina I. verb Collatio, vers. Non placet hoc dictum, ut lite cendente: Covar. practicar. cap. 36. num 4 ad fin. vers. Vacant autem in Curia, Parif. de resignat. lib 9 q. 14 num. 1. Gonzal. ad regul 8. Cancell. gloss. 13. n. 42. Frances dicit. q. 2. n. 26.

45 Nec etiam Legatus de latere potest conferre beneficia jurispatronatus laicorum. Gloss. verb. Apostolicus, in Clementina. Per literas, de præbend. eleganter Fragos. de regim. Reip. dicit. disp. 10. §. 3 n. 78. 79 80. & 81. Cæsar disp. 3. § 2. n. 8. cum alijs multis Aug. Barbos. de jure ecclesiastici. lib. 1. dicit. cap 5 num 44. ubi etiam ex Garcia resolut provisionem beneficij jurispatronatus laicorum factam à Legato sine præsentatione aut consensu patroni esse nullam; sustineri tamen illo non reclamante intra tempus ad præsentandum: & quod rectè poterit Legatus conferre beneficia jurispatronatus laicorum devoluta ad Episcopum ex negligentia patroni, de quo etiam Thoro in suo Codic. rer. judic. cas 60. n 379. latè explicat Bicchius decis 667. ubi etiam quod possint providere beneficia jurispatronatus ecclesiastici, ut n. 19. Put. lib. 3. dec. 157. Fermosin. in cap causam quæ 8. de præscript quæst 3. n. 22. ubi etiam an possit præscribere facultatem providendi beneficia jurispatroni Laicorum.

46 Et ideo certum est, rerugnante patrone laico, aut eo inconsulto, non posse

inferiorem Romano Pontifice, sive sit Episcopus, sive Nuntius, sive Legatus conferre Ecclesias patronatas laicorum, quamvis in literis habeat licentiam ut conferat Ecclesias patronatas. Gloss. in cap. Illud, de jure patronat. ubi Abbas n. 8. Fragos. dicit. §. 3. n. 80.

Quinimò nec Legatus Papæ poterit 47 pensiones imponere super Ecclesia patronata laicorum, ut ex Olibano in commentar. de jure fisci, cap 13 num. 35. tradit Fragos. dicit. §. 3. n. 80. ubi num 81. quod si patronus laicus consentiat, potest Legatus conferre beneficium, quamvis Archiepiscopus aut Episcopus contradicat: & ibi & numeris sequentibus agit quando dicatur juspatronatus laicale.

Quod etiam procedit in beneficijs jurispatronatus mixti, quia adhuc Legatus non poterit ea conferre. Cabed. de patribus cap 35. num. 5. Garcia dicit. cap. 3. num. 67. & 69. August. Barbos. dicit cap. 5. num 45. & 46. ubi quod non procedit in beneficijs jurispatronatus laicorum ex privilegio & præscriptione; nam ista bene potest Legatus conferre, ex Garcia dicit. cap. 1. num. 72. Covar. dicit. cap. 36. num. 6. Martha de jurisdic. part. 2. tit. 15. cap. 21 num. 22 Ricc. tom. 3 praxis, resol. 105. ubi an Legatus de latere possit derogare juripattonatus mixto, Prosper Fagn. in cap. Cum oportet, num 31. de jurepatronat. pag. 25.

Neque etiam Legatus durante anno 49 novitiatus potest conferre beneficium novitio. Fragos. dicit §. 3. num. 88. & 89. & n. 91. & quod non potest conferre unum beneficium duobus ea lege ac conditio ne, ut si primus non consentiat, secundus illud habeat: similiterque non potest conferre beneficium alicui, qui aliud beneficium habebat; de quo nullam mentionem fecit; nec valet collatio talis beneficij contradictoribus Ordinarijs, qui cum gaudeant beneficio conferendi, possunt conferre beneficium habenti alterum, quamvis nulla de eo fiat mentio, ex Clementina finali, de Offic. Ordinarij: optimè cum multis DD. & Rotæ decisionibus August. Barbos. dicit. cap. 5. num. 49. & 50.

Eodem modo non potest Legatus 50
CON-

conferre beneficia manualia, ex Fragos. dict. §. 3. num. 92. & 94. quo Legati de latere non possunt concedere regressus, nisi ex literis Apostolicis aliud appareat; sunt enim revocati regressus à Concil. Trident. sess. 25. cap. 8. de reformat. & alijs Decretis Pontificalibus, de quibus idem Fragos. dict. n. 94. & seqq ubi quando habeat locum.

51 Sic etiam Legatus non potest conferre beneficia, quæ ad Archiepiscopi, aut Episcopi collationem spectant jure speciali, seu delegato. Kochier. de jurisdict. in exemptos part. 2. quæst. 2. num. 22. Barb. d. cap. 5. num. 47.

52 Simili modo Legatus non potest conferre beneficia litigiosa, cap. 1. & 2 ut lice pendente in 6. Barb. d. cap. 5. num. 48 Frances de intrusione, quæst. 2. n. 27. ubi etiam quid in Ordinario; quod procedit non solum quando beneficium est litigiosum in Curia Romana, sed extra Curiam: & quæst. 3. num. 10. & quæst. 7. per tot. ubi eleganter.

53 Utrum autem Legatus conferre possit beneficia cum clausula *moru proprio*, disputat Barbos. d. cap. 5. num. 51. & n. 52. ubi quod hæc facultas conferendi benefici non extenditur ad alios Legatos, nisi quando eis specialiter sit indultum, cap. Literas, de supplenda negligentia Prelatorum, c. 1. de offic. Legati: & n. 51. quod Nuntijs cum potestate Legati à latere missis conceditur facultas restricta ad beneficia ecclesiastica simplicia per obitum extra Romanam Curiam vacatura, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum auri de Camera, computatis distributionibus; extra tamen Metropolitanas & alias Cathedrales, & Collegiatas Ecclesiæ, ut per Garciam 5. part. cap. 3. num. 84. ubi ponit tenorem facultatum Nuntij Hispaniarum circa collationes beneficiorum: & numeris sequentibus circa intellectum hujusmodi facultatum plura adducit. Rota apud Crescent. de privileg. dec. 8. alias 160. ubi quod Nuntius habens facultatem conferendi beneficia, conferre potest etiam vacantia in mensibus Ordinarij, non obstante regula de octo mensibus. Ricc. prax. resol. 8. n. 1. & vide infrà n. 62. explicat Go-

mez Bajo part. 2. lib. 3. prax. c. 1. n. 6. & 7. Tondut. de pens. cap. 10. per tot.

Utrum autem Legatus possit beneficia reservare, quorum conferendorum jus & potestatem habet, latè disputat cum multis, & explicat Aug. Barb. dict. cap. 5. n. 54. 55. 56. & 57. & ultra quos refert multos etiam allegat Frances de intrusione q. 2. n. 24. Fragos. d. cap. 3. n. 63. Crecent. de concessione præbendæ decis. 5. alias 144. ubi quid in beneficio vacante per obitum familiaris Cardinalis. Optimè explicat & limitat Butr. de jure patron. cap. 28. per tot. Paul. de Citad. de jure patr. part. 7. n. 16. Tondut. benef. 2 part. §. 2. n. 40. pag. 258. cap. 3. Cened. ad Decret. ad text. in cap. Cum dilectus 28 de jure patr. collect. 79 n. 3. Et quid in beneficijs jurispatronatus, Prosper Fagn. in cap. Dilectus, n. 12. de præbend. pag. 127. ubi quod potest beneficium vacaturum reservare etiam pro certa persona, sed non dare jus ad vacatura.

Utrum autem Legatus à latere possit commendare Ecclesiæ Parochiales, aut beneficia, tam in perpetuum, quam ad tempus, tradit August. Barbos. dict. cap. 5. n. 58. 59. & 60. optimè exornat Bicchius dec. Rot. 667.

Utrum autem Legatus à latere possit nominare coadjutores in perpetuum, & ad tempus, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo; & quomodo, & quando, latè disputat Fragos. d. disp. 10. §. 4 n. 107. usque ad fin.

Utrum autem Legatus à latere possit unire beneficia, tam sacerdotalia, quam regularia, etiam contradicente Episcopo, tradit idem Barbos. dict. cap. 5. num. 61. usque ad 67.

Utrum autem Legatus à latere possit recipere resignations beneficiorum, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo, & præstare autoritatem in permutatione beneficiorum, & quando & quomodo, tradit omnibus citatis idem Barb. d. cap. 5. num. 68. 69. & 70. explicat Rota post tract. Zuff. de crim. process. legitum dec. 2. n. 13. & seqq. optimè explicat Tondut. post tract. de pens. dec. 29. num. 9. & de benef. cap. 3. §. 1. per tot. & in Nuntio Mart. lib. 6. tit. collector. cap. 7. pag. 60. Flam.

Flam. de resign. lib. 7. quæst. 13. n. 17. ubi an possit committere receptionem resignationis, & collationis: optimè Fermosin. crm. tract. 1. in cap. Ex insinuatione 26. q. 1. ubi tractat, an si quis resignet beneficium cum conditione, ut sibi pensio soluatur, sit simonia; & quid si renunciet cum intentione, ut resignatarius iterum conferat & resignet suo nepoti: & quid in clausula, non aliter, non alias: & quid si dicatur maior beneficij valor, ut pensio assignetur: & quæst. 2. ubi de clausula accessus, & regressus, & per tot. de simonia omnia tradit circa renunciationes & simonias.

59 Utrum Legatus à latere possit conferre beneficium Parochiale sine concursu & examine, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo: tractat Hurtad. de exam. Synodal. tract. 12. cap. 1. resol. 28.

60 Utrum Vicariæ ex Constitutione S. D. N. Pij V. provideantur ad liberam electionem Ordinarij, an verò ad nominationem eorum, in quorum Ecclesijs existunt; & contra dictam Constitutionem valeat contradicente Archiepiscopo aut Episcopo disponere, eique derogare, & possit tales vicarias conferre, & quando collatio ei competitat vigore indulti, & censeatur istud revocatum, non factâ speciali mentione, latè disputat noviter Cæl. Bicch. dec. 667. Burat. dec. 708. num. 11. ubi quod Legatus ordinarius collator non est, & ideo conferens vigore indulti confert uti delegatus Papæ, ejusque autoritate.

61 Legatus de latere an possit derogare regulam de infirmis, tradit Kochier ad reg. Cancel. reg. 16. num. 35. ac de viginti: Put. dec. 144.


62 Et si Nuntius habeat facultatem conferendi beneficia intra propriam provinciam existentia, collatio extra eam facta est nulla. Put. dec. 477. lib. 2. Gratian. forens. cap. 127. n. 18.

63 Legatus vel Nuntius Apostolicus distinatus ad Principem, cui subsunt diversæ provinciæ, cum potestate conferendi ad quæ loca declinare contigerit, an possit in omnibus provincijs isti Principi subjectis conferre, disputat Fabius

dec. Audit. Rom. part. 3. lib. 3. dec. 142.

An provisus à Papa de aliquo beneficio præferatur proviso à Legato à latere, vel Ordinario, & quid in priùs possidente: disputat Fermosin. in cap. Mandatum 38. de rescript. quæst. 1. ubi multa refert: Barb. in cap. Si à Sede 31. de præbend lib. 6 num. 5. ex Glossa ibi.

Et quod Legati Papæ gratia sit justificanda quoad valorem beneficiorum, quia ea habet locum regula de valore, tradit Burat. dec. 390. num. 9. & 162. n. 9. ubi quod nulla est non expresso valore obtentorum: & quando, & quomodo justificetur, itaut si habeat minorem valorem, gratia sit nulla, tam in prov. sione, quam in renunciatione: & quid si detur excessus mandati, & quando consideretur, latè Tondut. post tract. de pens. dec. 32. per tot. de quo etiam cap. 10. per tot.



C A P U T L X V I I .

Utrum Nuntius, aut Legatus à latere habeat autoritatem in imponendis pensionibus, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo; & an pensio illa, quam titularis resignans beneficium sibi reservavit, vendi, vel redimi possit absque simoniæ labore.

S U M M A R I U M .

- 1 Nuntius cum potestate Legati à latere non potest nisi ad hoc habeat facultatem expressam imponere pensiones.
- 2 Legatus à latere potest, nisi sit Ecclesia patronata laicorum, aut reservata.
- 3 Legatus à latere potest reservare pensiones, de quibus partes priùs convernerunt; & an possit concedere facultatem transferendi pensionem, & quibus competat, remissivè.
- 4 Pensio an sit beneficium, & spiritualibus annexa.
- 5 An pensio illa, quam titularis resignans bene-

beneficium sibi reservavit, vendi vel redimi possit absque simoniae labe: & num. 6. utique ad fin.

1 Quoad primam partem dicendum est, quod Nuntius cum potestate Legati à latere non potest, nisi habeat facultatem expressam ad hoc, ad textum *in cap. Literas, de supplenda negligentia Prælatorum:* probant quæ tradit Barb. *de jur. ecclesiast. cap. 5. n. 52.*

2 Sed Legatus à latere habet autoritatem in pensionibus imponendis, etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo. *Gigas de pensionibus quest. 6. n. 18. & 19. Lælius Zecch. de benefic. & pensionib. cap. 11. n. 5. Garcia de benefic. part. I. cap. 5. num. 281. Cæsar part. I. disp. 3. §. 2. num. 25.* qui tamen resoluunt, non posse pensionem imponere in beneficijs reservatis, vel quæ aliás ad ejus provisionem non spectant, prout testatur idem Barb. *dict. cap. 5. num. 71. de quo diximus suprà cap. 66. n. 47.* ubi etiam quod non potest in Ecclesia patronata laicorum. Vide Tondut. *de pens. cap. 25. n. 20. & 30. Solorzan. de jur. Ind. lib. 2. cap. 4. n. 14.*

3 Et etiam potest reservare pensiones, de quibus partes priùs convenerunt, de quo latè Tondut. *de pens. c. 1.* ubi etiam de omnibus qui possunt vel non reservare pensiones. Flam. *de resign. lib. 6. quest. 4. num. 15.* ubi an possit concedere facultatem transferendi pensionem, de qua rest videndus Tondut. *de pens. cap. 1. n. 20. & seqq.*

4 Quoad secundam partem, dato quod pensio sit beneficium, & spiritualibus annexa, de quo ex Garc. *de benefic. part. I. cap. 5.* quem & alios refert Fermosin. *crim. tract. I. ad textum in cap. Cùm essent 12. q. 2. pag. 213.*

5 Adhuc in nostro casu non committi simoniam, ex eo videtur, quia qui tertio vendidit pensionem, vel qui pretio accepto illam remittit, sicut etiam ille qui emit, vel redimit, nullo modo intendunt jus aliquod spirituale acquirere, vel transferre, sed meram temporalitatem, scilicet utilitatem, & redditus. Unde sicut ille, qui emeret à beneficiato jus temporale recipiendi decimas, cæteros-

que beneficij redditus, sive calicem aut corporalia, nullo modo committeret simoniam, quia non emit consecrationem; sed materiam; neque jus ad decimas, sed utilitatem, & commoditatem: sic est in proposito.

Et quod commoditas pensionis emi⁶ possit absque simonia, tradit Garc. *dict. cap. 5. n. 29. Fermosin. dict. quest. 2. n. 19. & 20.* Neque aliquis inficiabitur, & pa-
sim fit in pensionibus, vel beneficijs ad tempus, vel pro vita locatis, sive potius venditis eorum redditibus.

Quamvis autem hujusmodi aliquas ⁷ differentias producant, nec sic cesset, vel transferatur in emptorem pensio, qualiter transferretur, si jus ipsum transferri posset; contrahentes tamen, illud jus transferri non posse agnoscentes, id non intendunt.

Nihil enim agunt quoad ipsum jus, ⁸ sed tantum quoad utilitatem. Unde quia per hoc, quod jus remanet apud verum pensionarium, & inde sequuntur effe-
ctus maximè differentes à vera cessatione, conveniens est cessare pensionem volenti ad Papam recurrere. Ad cum ergo itur, non quia aliás simonia com-
mittatur; sed quia aliás jus exigendi pen-
sionem non extinguitur, licet pensiona-
rius stare debeat contractui, neque pete-
re possit ab eo, à quo pretium redemp-
tionis accepit, & sic remisit jus petendi
illos redditus vendens commoditatem.
Hinc non probo quod ex alijs refert
Sanch. *conf. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 46. n. 4.*
quod scilicet redimens pensionem abs-
que authoritate Papæ illam potest exi-
gere; nihilominus ubi primùm ex de-
cursis non solutis fuerit pensionatus fa-
tisfactus de pretio quod pensionarius
recepit.

Obiicies, quod etiam ille qui dat pre-⁹
tium pro jurepatronatus, vel pro benefi-
cio, nullo modo jus spirituale intendit
comparare, sed temporalem utilitatem
beneficij; & nihilominus simoniam com-
mittunt tam dans, quam recipiens; cùm
tamen certum sit nullius ex illis inten-
tionem ad jus dirigi.

At respondeatur, & est maximè notan-¹⁰
dum, & advertendum, quod quandocun-
que

que datur titulus spiritualis, cuius ratione ille fructus, sive commoditas provenit, simonia committitur, quamvis intentio principalis non sit emere jus spirituale, sed utilitatem ex eo provenientem; nam in effectu haec non potest producere nisi jus illud, scilicet collationem, sive ordinem, sive aliud jus spirituale consequatur, unde illud quoque in effectu emitur.

11 Ad pensionis verò utilitatem, & commoditatem consequendam, & clariùs ad vitandam ejus solutionem nullum jus spirituale primariò, aut secundariò, nullusque spiritualis titulus requiritur, sed hoc permanente in vero pensionario ex ipsius voluntate & contractu celebrato, commoditas, & nihil aliud pertinet ad emptorem, si tertius emat; vel ad pensionatum, si ipse redimat.

12 Videtur ergo simoniam non dari, nisi detur, vel recipiatur titulus, jus, functio, vel sacramentum ab eo qui dare potest; vel detur pretium ad hunc finem, licet cum effectu non sequatur, veluti quando prætendens beneficium dat alteri pretium, ne sit prætentor. Sin autem nullo modo prætendatur titulus, vel jus, non videtur dari simonia, veluti si detur pretium Rectori Ecclesiae, sive Canonico, aut alteri, ut dimittat beneficium, nullà habitâ intentione ut sibi, vel alteri acquirat, qui pretium dedit, sed aliâ intentione. Non enim videtur committere simoniam, sicut neque ille qui emit calicem consecratum, nullo modo considerando consecrationem; vel qui dat pecuniam Parocho, ne administret alicui sacramentum.

13 Sic similiter videtur in proposito; nam redimens nullum titulum, sive jus prætendit, sed oneris extensionem, quod beneficio suo est impositum: unde non videtur simonia, non aliter ac illa non committeretur, si Parochianus cum suo Parocho conveniret pretio dare, ne amplius ab eo decimas cæteraque iura parochialia non exigeret, ut his non consideratis notat Fermosin. dicit q. 2. num. 19. & 20. & ad rubric. de simonia, omnia tradit circa simoniam, & circa pensiones. Tondut. & Barb. de pensionibus.

Pars II.

• 63. q. 161

C A P U T L X V I I I .

De potestate Archiepiscoporum, Episcoporumve circa beneficiorum provisionem per alternativas; & quando sit eis licita sine Legati à latere aut Nuntij concursu, & provisio præbendarum simultaneæ collationis cum Capitulo, etiam contradicente Legato à latere, aut Nuntio cum ejus potestate; & an possint conferre talia beneficia, an solùm pertineat collatio ad Papam? & quid in beneficijs reservatis, ac vacantibus in Curia; & ad quem pertineat eorum provisio? Agitur etiam de executore, & legitimo contradicatore.

S U M M A R I U M .

- 1 *Potestas, ac jurisdictio conferendi beneficia ecclesiastica Petro Apostolorum Principi collata fuit: & num. 2.*
- 3 *Fundatio & institutio beneficiorum ecclesiasticorum, exceptâ Apostolicâ dignitate, modusque & forma adquirendi beneficia fuere introductæ jure tantum ecclesiastico & humano.*
- 4 *Sedes Apostolica concessit Archiepiscopis, aut Episcopis, ut quilibet posset conferre beneficia in sua diœcesi existentia: & num. 5.*
- 6 *Licet Archiepiscopus aut Episcopus possint conferre omnia beneficia vacantia in quolibet mense, attamen postea coarctavit potestatem, & creavit alternativas in mensibus: & n. 7. Legatus à latere non potest conferre beneficia vacantia in mensibus alternativæ; & quomodo num. 9.*
- 10 *Idem dicendum est in præbendis simultaneæ collationis.*

- 11 Idem dicendum est in beneficijs reservatis.
 Quando dicantur beneficia reservata, traduntur exempla, & numeris seqq. usque ad num. 34.
 35 Reservatio ob vacationem in Curia est clausa in corpore juris, & nulla major, aut potentior invenitur.
 36 Quando videntur beneficia ad hoc ut prouideri possint.
 37 De executori literarum, & de legitimo contradicitore: & nn. seqq.

- 1 Poteftatem, ac jurisdictionem conferendi beneficia ecclesiastica Petro Apostolorum Principi collatam fuisse, colligitur ex textu in cap. *Ita Dominus*, §. *Hunc enim, dist. 19 cap. fin. dist. 11. cap. In novo*, dist. 21. Corona de potest. Episcopi tract. 3. cap. 6. num. 1.
 2 Illa autoritate dum Ecclesia adhuc incunis ageret, instituit dignitatem, & alia beneficia ecclesiastica contulit, cap. 1. & 2. dist. 22. Selva de benefic. 2. part. quæst. 22 num. 3.
 3 Nam fundatio, & institutio beneficiorum ecclesiasticorum, exceptâ Apostolica dignitate, modusque, & forma adquirendi beneficia, fuere introducta jure tantum humano, & ecclesiastico, cap. 1. dist. 22. cap. Nullus 9 q. 2. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 1. proœmal. num. 1. & 2. Garcia de benefic. part. 5. cap. 1. numer. 3.
 4 Postea Sedes Apostolica concessit Archiepiscopis, & Episcopis, ut quilibet posset conferre beneficia in sua Diœcesi existentia, cap. *Decreto*, cap. *Qui se fecit* 2. quæst 6. Flamin. de resign. lib. 1. quæst. 10. n. 49. Simoneta de reservationibus quæst. 3. Castr. Palao in opere morali, tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 27. num. 1. Barb. de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 57. num. 1. Corona ubi suprà.
 5 Jure igitur humano, & ecclesiastico, seu communi possunt Archiepiscopi & Episcopi loci Ordinarij conferre beneficia in sua diœcesi existentia, ita disponente constitutione Archiepiscopatus Ulißiponensis lib. 3. tit. 8. in princip. pag. 265. cap. Omnes Basilicæ, cap. Nullus omnino, 16. q. 7. cap. Exigenda 10. q. 1. cap. con-

querente, de offic. Ordinarij, Kochier de jurisdict. in exemptos part. 4. quæst. 25. Riccius in prax. decis. 394. num. 1. & resolut. 236. num. 1. Durandus decis. 442. num. 1. Alzed. de præcellentia Episcopi p. 1. cap. 6. num. 52. Poith. post tract. de manut. decis. 125. num. 1. Garcia de benefic. 5. part. cap. 1. n. 52. infinitos refert Corona dict. cap. 6. n. 2.

Licet Archiepiscopus aut Episcopus poterant conferre omnia beneficia vacantia in quolibet mense, haberentque omnes menses liberos, juxta Castro Palao dict. tract. 13. disp. 2. punct. 15. August. Barbos. de potest. Episcopi part. 3. alleg. 57. num. 2.

Attamen hanc potestatem ordinariam conferendi beneficia Summus Pontifex precariè concessit, & postea coarctavit, ex concordatis Germaniæ inter Sedem Apostolicam, & Federicum Imperatorem, per Constitutionem quæ incipit, *Ad sacram*, ubi alterni menses refervantur Pontificiæ collationi, scilicet Januarius, Martius, Maius, Julius, September, November, ut beneficia tam pastoralia, quam non pastoralia, si vaccent in his mensibus, ab ipso debeant conferri; reliqui autem menses collatoribus ordinarijs relinquuntur: de qua alternativa & provisione, & quando habeat locum, vel non, & quibus requisitis, latè disputant DD: per varios casus, per textum ibi in cap. *Dudum*, §. *Nos igitur*, cap. *Si à Sede Apostolica, de præbend.* in 6. & ibi Barbosa, Gom. de expectativis num. 14. Zecch. de benefic. cap. 2. n. 1. Branden. super Concordata Germaniæ, quæstio ne 8. 12. notabili 1. latissimè omnia tradit Garcia de benefic. 5. part. cap. 1. per totum, Gonzalez ad regul. 8. Cancell. gloss. 45. & §. 1. 2. & 3. Aug. Barb. de potest. Episcopi part. 3. allegat. 53. num. 34 & seqq. Alzed. de præcellentia Episcopi 1. part. cap. 6. de residentia & alternativa, num. 52. & seqq. Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 10. num. 3. Corona dict. cap. 6. num. 2. ubi numer. 4. quid quando concurrit provisus ab Ordinario cum proviso à Summo Pontifice, & provisus ab Ordinario est in possessione, & quis præferatur.

Et in istis beneficiorum provisionibus 8 factis

fact's secundum alternativam sex mensium ab Archiepiscopis, aut Episcopis nihil potest conferre Legatus à latere, nec Nuntius cum ejus potestate, quia solum quando concurrit cum Ordinario, & eum potest prævenire, secundum ea quæ diximus cap. 66. numer. 1. & 2. procedit quoad quatuor menses Ordinarij non habentis alternativam; sed non videtur procedere quoad sex menses alternativæ Archiepiscopi, aut Episcopi illam habentis, propter decretum irritans in regulis appositum, quod ligat etiam Legatum à latere, ut eleganter resoluit Garcia de benefic. 5. part. cap. 3. num. 45. ubi num. 46. inquit Rotam judicasse non valere provisionem Legati à latere de beneficijs vacantibus in mensibus Ordinarij, etiam si postea Ordinarius non conferret. Quod etiam tradit August. Barbos. *de jure Ecclesiastico* cap. 5. num. 42.

9. Sed provisio Legati à latere de beneficio vacante in mense alternativæ tribuit titulum coloratum, & suffragatur in iudicio spolij, ut cum varijs decisionibus Sacrae Rotæ Romanae tradit idem Garcia dict. cap. 3. num. 50.

10. Sic etiam idem est dicendum si Archiepiscopus, Episcopusve & Capitulum habeant aliquas præbendas simultaneæ collationis, de quibus, & quando, & quomodo provideri debeant; & cum qua divisione, aut turno, est videndus Alzed. dict. 1. part. cap. 6. num. 60. & seqq. optimè Gonzal. sup. r. regul. 8. *Cancell de mensibus & alternativis*, gloss. 45. num. 46. & seqq. & §. 1. ejusdem gloss. 45. eleganter etiam gloss. 3. ubi etiam agit de provisione per turnum; & eleganter de hac simultanea provisione inter Archiepiscopum, Episcopumve & Capitulum, omnia tradit Prosper Fagn. in cap. *Cum Ecclesia Vulgaria de electione*. per rot. pag. 81. & seqq. tom. 2. Fermosin. etiam in dict. text & Barbos. & in cap. *Cum in cunctis*, §. Ad clericis, de elect. tractant etiam de provisione per concursum, & de eadem simultanea August. Barbos. vot. 24. num. 7. cum multis Salced. *theatr. honoris* gloss. 48. numer. 4. pag. 478.

11. Eodem modo idem dicendum est in Pars II.

beneficijs reservatis, in quibus se non potest intromittere Legatus à latere, nec Nuntius, ut diximus cap. 66. num. 1. & seqq. in quorum reservatione Romanus Pontifex coarctavit ordinariam potestatem conferendi beneficia, quam concederat Legatis, Archiepiscopis, Episcopisve, quarum reservationum secundum Coronam dict. cap. 6. num. 5. aliæ sunt generales, aliæ speciales. Generales sunt non pro certis beneficijs, seu personis, v. g. de beneficijs collectorum, & subcollectorum, Officialium Curiæ. Speciales autem sunt quæ fiunt de certis beneficijs, seu pro certis personis, ex Loter. *de re beneficiar. lib. 2. quæst. 26 n. 24* Garcia dict. cap. 1. n. 18. & istæ reservationes aliæ sunt in jure, aliæ in regulis Cancellariæ, quas hîc referre non erit inutile, ne Legati, Archiepiscopis, aut Episcopis provideant de beneficijs reservatis Sedi Apostolicæ, & eorum collatio sit nulla, cap. nomen 2. q... cap. Dudum, & cap. Multum studio, 3 quæstionē 6 cap. Si eo tempore, de electione in 6. Et primò dispositioni Sedis Apostoliæ reservantur omnia beneficia vacanta apud illam, seu in Curia Apostolica, cap. 2. cap. Statutum, cap. præsenti, de præbend. in 6. Aug. Barb. *de potest. Episcopi 3. part. alleg. 57. n. 19.*

12. Illud beneficium dicitur vacare apud Sedem Apostolicam, & est illi reservatum, quod vacavit in locis vicinis Sedi Apostolicæ, & Curiæ Romanæ, & prope eam intra duas dietas legales, ut est textus in dict. cap. Præsenti, de præbend. in 6. Barbos. dict. alleg. 57. num. 21. & Nos diximus & explicavimus sup. cap. 66. n. 1. & seqq.

13. Dicuntur etiam beneficia apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacare, non solum quando quis moritur in illa; quæ reservatio sola est in corpore juris, cap. Præsenti, de præbend. in 6. extravagant. Ex debito, de electione, extravagant. Ad regimen, extravagant. Piæ sollicitudinis, de præbend. sed etiam per resignationem factam in manibus Papæ, quam constat verè, & realiter dici vacationem in Curia, etiam mediante procuratore alibi constituto, ut suprà diximus c. 66.

164 Tract. de Competent. inter Archiep. &c.

- num. 1. & seqq. cum multis, & ultra eos Corona dicit cap. 6. num. 5. ubi extendit ad permutationem, & limitat ad favorem Ordinarij, cum Barbos. dicit. alleg. 57. num. 23. & seqq.
- 15 Secundò beneficia reservantur dispositioni Romanæ Sedis per solam appositionem suæ manus, licet inutiliter factam, ita ut si Pontifex alicui prouideat, vel provideri mandet de aliquo beneficio, si nulla fuerit provisio, ut potente facta inhabili vel incapaci, vel ob subreptionem, vel alium defectum, beneficium remanet Romanæ Sedi affectum, & in eo Legatus, Archiepiscopus, Episcopusve nequeunt se intromittere, quamvis alias non fuerit reservatum, ex textu in cap. *Ut nostrum* 56. de appellatio-
nib. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 3.
proœmial. n. 46. & gloss. 52. Garcia de be-
nefic. 5. part. cap. 1. n. 138. Barb. dicit. alleg.
57. n. 32. Corona dicit. cap. 6. n. 6.
- 16 Tertiò reservantur Sedis Apostolicæ dispositioni beneficia vacantia Sede Episcopali vacante, qualisunque sint qualitatis, & speciei. Ita Pius V. in Bulla quæ incipit, *Sanctissimus in Christo Pa-
ter*, Flam. de resign. lib. 2. q. 16 n. 30. Riccius in praxi Eccles. resol. 333. n. 2. Azor moral. part. 2. lib. 6. cap. 34. quæst. 12. vers.
Eiusdem.
- 17 Quartò reservatur Sedi Apostolicæ collatio beneficiorum vacantium ob crimen hæresis, sive habeant animarum curam, sive non, etiamsi sint Ordinis sancti Joan. Hierosolymitani, vel alterius Ordinis Militaris. Ita Bulla Pij V. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*, data 6. Februarij 1566. Garcia de benefic. 5. part.
cap. 1. num. 81. Gonzalez gloss. 51. num.
10 Riccius dicit. resol. 333. vers. Secundò,
& collect. 1659. Castro Palao oper. moral.
tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 24. num. 3.
August. Barb. dicit. alleg. 57. num. 36. Cor-
ona ubi supra, Prosper. Fagn. in cap.
quod à prædecessore, num. 69. de schismati-
cis, pag. 235.
- 18 Quintò reservata sunt dispositioni Romani Pontificis beneficia vacantia per privationem, idest per simoniam, ex Bulla Pauli III. quæ incipit, *Sanctissimus*, Riccius dicit. resol. 333. vers. 10. Leo The-
saur. fori Eccles. part. 2. cap. 5. n. 36. Barb.
dicit. alleg. 57. n. 39.
- Sextò vacant, & ad dispositionem Ro- 19
manæ Sedis spectant beneficia collata personis prohibitis ob profaniam suam, crimen hæresis, vel apostasiæ à fide. Ita Gregorius XIII. in bulla quam refert Ugolin. *de potest. Episcop.* cap. 50. §. 2.
vers. 3. Mantic. dec. 158. n. 1. Riccius ubi
suprà, Gonzal. reg. 51. n. 103. Flam. q. 16.
n. 31. Azor supra, q. 12. vers. Greg. Corona
dicit. num. 6.
- Septimò beneficia quæcunque recep- 20
ta in confidentiam, quæ vacant, sunt ipso jure reservata Sedi Apostolicæ per Pij IV. constitutionem quæ incipit, Ro-
manus Pontifex, & per Pij V. bullam quæ incipit, *Intolerabilis*; cui subscribunt Navar. in man. cap. 23. numer. 50.
Flam. de confident. quæst. 7. num. 79. Ugo-
linus dicit. §. 2. vers. 7. Pias. in praxi
Episcop. cap. 5. numer. 4. Riccius dicit. re-
sol. 333. vers. 7. Corona suprà, ubi am-
pliat.
- Octavò beneficia Parochialia, quæ 21
collata sunt non servatā formā Concilij Trid. sess. 24. de reform. cap. 18. reserva-
vit Pius V. in bulla quæ incipit, *In con-
ferendis*, Riccius dicit. resol. 333. vers.
Octavo, Ugolin. dicit. §. 2. vers. *Octavo*:
de quo vide explicantem Barb. dicit. al-
leg. 57. num. 44.
- Nonò, si intra sex menses Episcopus 22
à die quâ novit beneficium vacare, con-
ferre potuit, & noluit, collatio tunc ad Capitulum devolvetur: quod si intra hoc tempus negligens fuerit, ad mediatum superiorem spectabit, ut ad Metropolitanum, ab hoc ad Primate, à Primate ad Patriarcham, & tandem ad S.P. cap. 2.
ubi Abbas num. 17. & cap. Quia diversi-
tatem, de conces. præbend. Riccius dicit. re-
sol. 333. vers. 6. Ugolin. dicit. §. 2. vers. 6.
Pias. dicit. cap. 5. vers. Reservata, Coro-
na dicit. cap. 6 n. 7. Zerola in praxi Episcop.
part. 1. verb. Beneficia, §. 2. sed notant Garcia de benefic. part. 2. cap. 3. Barb. dicit.
num. 44. istos casus non observari: ex-
plicat Prosper Fagn. in cap. Nulla, de
concess. præbend. per tot. pag. 229.
- Decimò beneficia omnia sunt specia- 23
liter reservata, quæ per resignationem,
vel

vel obitum authoritate Apostolica conferuntur cum decreto quod provisus beneficium tunc obtentum teneatur resignare, seu dimittere intra duos menses, aut aliud tempus; & quod de eo per Sedem Apostolicam duimtaxat possit provideri; & similes reservationes sunt speciales pro beneficijs tunc expressis. Leo cap. 5. num. 31. Corona dict. num. 7. Monet. de opin. cap. 3. num. 44. Gonzal. gloss. 11. num. 69. Barb. dict. alleg. 57. & 45. & 46. ubi explicat.

24 Undecimò sunt reservata beneficia vacantia defectu resignationis non publicationis, ex Bulla Gregor. XIII. *Humano vix judicio, & diximus suprà cap. 66. num. 1. & seqq. & ultra DD. ibi relatos Corona dict. cap. 6. num. 7.* Quarant. verb. *Beneficiorum resignatorum publicatio*, Garc. de benefic. part. 11. c. 3 n. 273. Flam. de resign. lib. 11. in præf. n. 5. Barbos. dict. alleg. 57. n. 46.

25 Duodecimò sunt reservata beneficia vacantia per violationem sequestri lite pendente in Curia Romana, Clementin. unica, §. Si quis autem de sequestranda possessione. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. §. 7. proœmial n. 8.

26 Cùm enim sunt in Curia litigiosa, sunt reservata Sedi Apostolicæ, nisi sequestrum fuerit violatum lite pendente in Rota per appellationem, ut prosequitur, & explicat Corona dict. cap. 6. num. 7. ex Clementina Auditor, de rescript.

27 Decimotertio reservantur beneficia litigiosa, de quibus diximus cap. 66. licet enim beneficium litigiosum non dicatur propriè reservatum, tamen ad effectum ut Legatus, aut Ordinarius nequeat providere, idem importat litigium, quod reservatio, ex Gonzal. gloss. 11. num. 111. Corona ubi suprà, & Lancelot. de attentat. part. 1. cap. 3 n. 90. & seq.

28 Quod specialiter intelligendum est in beneficijs impetratis propter crimen, quæ beneficia non sunt litigiosa, sed persona accusata; unde beneficium collitigatoris vacans per obitum in mense Ordinarij poterit Ordinarius liberè conferre. Simonet. de reservationibus, quæst. 10. num. 5.

Et quoad effectum de quo suprà, beneficium dicitur litigiosum quando agitur jus reale super collatione facta. Rota dec. 342. n. 2. apud Farin. 1. part. explicat Barb. dict. alleg. 57 n. 49. & juvè, quia lis calumniosa non facit beneficium litigiosum ad hunc effectum, ut ex Burat. aec. 927. num. 15. Valeron de transact. tit. 2. quæst. 3. num. 13.

Decimoquartò beneficia vacant per delictum ejus, qui offendit litigantes in Romana Curia, ac eorum Procuratores, Advocatos, Notarios, testes. Ita Alexand. VI. Constitutione 11. quæ incipit, In Eminentia, apud Put. dec. 102. & duabus sequentib. lib. 1. Gonzal. gloss. 51. num. 105. Corona dict. cap. 6. n. 8.

Decimoquintò reservantur beneficia eorum qui impetrant pro seipsis beneficia cum intentione illa resignandi, vel beneficia impetrant pro alijs, ut ab eis aliquid consequantur, vel seipsis pro alijs examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficijs, ut patet ex Constitutione 12. Pauli IV. Inter cæteras, gloss. 51. n. 107. Corona suprà, Barbos. dict. allegat. 57. num. 56.

Decimosextò beneficia vacant, quia beneficiatus non gestat habitum Clericalem. Ita Sixtus V. constit. 92. §. 2. vers. in futurum, Corona proxime.

Decimoseptimò vacant beneficia statim ac quis ad Episcopatum promovetur, ac etiam pensiones: & quando, & quomodo, tradunt Simonet. tit. de reservationib. q. 27. Garcia de benef. part. 11. cap. 6. n. 44. & per tot. & cap. 7. Mendos. q. 15. n. 7. Corona de potest. Episcop. cap. 7. n. 1. & 2. Barb. dict. alleg. 57 n. 71. & seqq. Fermosin. ad text. in cap. Cùm in cunctis 7. §. Cùm vero, de electione.

Excipiuntur tamen qui promoti sunt ad Episcopatum existentem in terris infidelium, seu titularem, ut tenet Kochier ad regul. 24. Cancellar. n. 26. Garcia part. 11. cap. 6. n. 24. Frances de Ecclesi. Cathedralib. cap. 32. num. 119. Ugolin. part. 1. cap. 1. §. 2. n. 2. Barbos. dict. alleg. 57 n. 74. Corona dict. cap. 7. num. 3. ubi etiam cum Alzed. 1. part. cap. 3. num. 82. & 83. quod beneficia Episcopi non recepti à populo,

lo, nec percipientis fructus minimè vacant: & prima ratio est, quia non stat per eum assequi illius possessionem; & secunda ratio asserta esse, quia quamvis collatio dignitatum vel beneficiorum facta Episcopo nulla sit nisi ex dispensatione Sedis Apostolicae, vel iusta causa, *cap. Cum nostris, ad concess. præbend.* Garcia *dict. cap. 6. n. 44.* nihilominus beneficiorum simplicium collatio facta Episcopo titulari, vel qui renuntiavit Episcopatu, erit valida. Garcia *dict. cap. 6 n. 45.* Barbos. *dict. alleg. 57. n. 76.* qui numeris sequentibus de reservationibus beneficiorum, & alijs ad illa spectantibus doctissimè differit.

35 Et cum reservatio ob vacationem in Curia sit clausa in corpore juris, & nulla major, aut potentior inveniatur, ut tenet Prosper Fagn. *in cap. sicut unire, n. 57. de excessibus Prælatorum, pag. 10.* ideo non potest Legatus à latere, nec alias inferior conferre talia beneficia reservata. *Gloss. finalis in cap. 1. de officio Legati in 6. Aug. Barb. de jure ecclesiast. lib. 1. cap. 5. num. 42.* reservationibus enim Apostolicis sublatum est jus nominandi, & conferendi, ut tenet idem Fagnan. *m cap. Nullus, n. 10. de elect.*

36 Quando autem vacent beneficia ad hoc ut provideri possint, tradit per varios casus Prosper Fagnan. *in repertor. liter. B. verb. Beneficium quoad vacationem.*

37 Et si concessa provisio fuerit à Summo Pontifice, aut à Legato, aut Nuntio, cui competit executio gratiarum ad immittendum aliquem provisum in possessione beneficij, est suapte naturā meritus executor, ita ut in eo non habeat locum dispositio capituli Statutum, *de rescript. lib. 6.* ex Garcia de benefic. 6. part. *cap. 2. num. 106.* Vivianus *de jurepatron.* 2. part. *lib. 13. cap. 5. n. 19 & 20.*

38 Si autem adest intrusus, aut aliter professor beneficij provisi, vel comparet legitimus contradictor ante emissionem actualem, allegans de iure suo, tunc gratiæ executores mixti fiunt; & licet de jure communi tenerentur assumere partes judicis, & judicialiter procedere cum causæ cognitione, & definitivè pronun-

tiare, ac plenariè de viribus jurium possessoris, aut intrusi, seu alias contradicloris legitimi in via ordinaria cognoscere, & definitivam pronunciare, juxta notata per DD. *in cap. fin. de præsumpt.* Garcia *de benefic. 6. part. cap. 2. n. 110. & seqq.* Vivian. *de jurepatronat. 2. part. lib. 13. cap. 5. num. 19. & seqq.* Salgad. *de reg. protect. 2. part. cap. 13. num. 57. & seqq.* de qua re etiam Themud. 3. part quæst. 10. & August. Barb. *de pensionib. part. 2. quæst. 12.*

Attamen hodie attenta noviori dispositione Sacrosancti Concilij Tridentini *sess. 24. de reformat. cap. 20.* iste executor non potest assumere partes Judicis, ubi adest intrusus, & possessor, aut alias legitimus contradictor; & ubi sit necessaria via ordinaria, cognoscere de viribus partium non potest, nec si aliter sit adhibenda causæ cognitio, quia hæc pertinet ad ordinarium: de quare est vindicandus idem Themud. *dict. q. 10.* Flores variar. lib. 1. q. 4. & n. 35 eleganter exornat, & explicat materiam circa exceptiones: & quando de illis possit cognoscere executor, eas rejicere, vel Ordinario remittere, Aug. Barbos. *de pensionibus part. 1. q. 7. & part. 2. q. 12. & de potest. Episcopi tom. 2. alleg. 81. num. fin.* Garcia 6. part. *cap. 2. n. 110. & seqq.* ubi refert plures Rotæ decisiones.

Maxime si litteræ habeant clausulam, *citatis citandis*, seu clausulam, *Amoto quolibet illicito detentore*, de quibus Barb. *eisdem clausulis*, tradunt Garcia *ubi supr. n. 111.* Vivian. *de jurepatronat. 2. part. lib. 13. cap. 5. n. 19. & seqq.* Rot. apud Othobon. *dec. 219. n. 6.*

Et quando comparet legitimus contradictor ad impediendam immissionem provisi virtute literarum Apostolicarum, ut tunc viâ ordinaria sit agendum, quæ judici ordinario in prima instantia sit, cognitio est remittenda. Aug. Barb. *dict. alleg. 81 num. ... Flores lib. 1. var. q. 12. num. 17. & seqq.*

Et quamvis possessione vacante à nomine occupata, Judex non teneatur aliquem citare pro immittendo proviso Apostolico, ut tenet Flores *dict. q. 4. n. 52.* Rota apud Garciam *dict. cap. 2. num. 141. & 142.*

& 142. Vivian. dict. cap. 5. num. 23.

43 Tamen si re integra ipse legitimus contradictor compareat, audiri debet, & de suis juribus discutiendum est, & licet appellat & causat attentata, ut tenet Vivian. dict. cap. 5. num. 23. & 24. Garcia dict. 2. num. 110. & seqq. & num. 132. & 139. & seqq. Argel. de legitimo contradic-
tore quæst. 2. art. 1. & quæst. 14. art. 5. &
quæst. 15. art. 1. & seqq. ubi explicant, &
intelligunt.

44 Et quando concurrit paritas titulo-
rum, tunc impediatur via executiva li-
terarum Apostolicarum, & viâ ordinaria
sit agendum, vide plures decisiones Ro-
tae adductas per Garciam de benefic. 6.
part. cap. 2. num. 124. & 125. & cap. 4. n.
16. & 21.

45 Et quando duo hinc inde veniunt
cum pari titulo ad petendam immissio-
nem, quod viâ ordinaria sit agendum,
tradit Argel. de legitimo contradic-
tore quæst. 2. art. 1. & quæst. 15. art. 1. 2. & 3.
& in tract. de adquirend. possess. quæst. 20.
art. 2. n. 12. & seqq. Bicch. dec. Rot. 558.
num. 33. quia tunc est legitimus contra-
dictor, & num. 34. ubi limitat in titulo
notoriè nullo.

46 Si autem legitimus contradictor, qui
non possidet, compareat post captam
realiter possessionem, non auditur in
contradictione executionis, sed debet
recurrere ad Ordinarium contra posse-
forem, & coram eo contra possidentem
agere; quia tunc est nova actio, & no-
vum judicium, ut tenet Garcia dict. cap.
2. num. 143. Paflador. lib. 2. rer. quotidiana
cap. fin 5. part. §. 10. novissimè Cæ-
lius Bicch. dec. 146. n. 11.

47 Et quando aliquis adest possessor, aut
intrusus, vel alijs expeditæ sunt literæ
Apostolicæ sub intrusione, aut reserva-
tione, faciendo relationem, aliquem esse
intrusum, tunc executor omnino debet
quærere possitorem, & illum citare, &
audire debet in via ordinaria; quia tunc
cum isto possitore judicium non debet
esse executivum, sed ordinarium, & in
via ordinaria erit vincendus, ut resoluit
Gonzal. in regul. 8. de alternativis gloss. 9.
manot. num. 126. ubi ait ita fuisse reso-
lutum à Rota; & idem tradit gloss. 15. §.

1. num. 70. sequitur Garcia dict. cap. 2. sub
n. 140. ante med. & n. 110. & seqq.

Et quod quando vel adest possessor, 48
vel alijs legitimus contradictor, qui
producunt suum titulum, debeat judi-
cium tractari in via ordinaria, & non
executiva, est videndus idem Garcia
num. 159. ad fin. & n. 139. ubi plures de-
cisiones Rotæ refert.

Et generaliter quando literæ Aposto- 49
licæ habent clausulam, vocato N. vel vo-
catis vocandis, vel amoto quodam illicito
detentore, aut si Constatuerit, vel Constatu-
bit verificato, seu ut ipse judex se infor-
met, de quibus Aug. Barb. de clausulis,
iijdem verbis, faciunt executorem de me-
ro mixtum, & tenetur assumere partes
Judicis, & possitorem citare, ac proce-
dere cum causæ cognitione, ac discussio-
ne, & servatis servandis, auditisque pos-
sessoris defensionibus: & ab ejus senten-
tia datur appellatio suspensiva, ut tenet
Posth. de manut. obs. 12. num. 62. & ele-
ganter dec. 259. n. 4. & 5. noviter Cælius
Bicch. dec. 275. n. 22. & seqq. & dec. 174.
n. 1. & dec. 339. n. 19. & dec. 392. n. 9. &
seqq. & dec. 408. n. 1. & dec. 428. n. 8. Ot-
thobon. dec. 186. n. 9. & seqq. & dec. 57.
per tot. & 153.

Hinc fit, quod quando beneficium ab 50
aliquo possessum impetratur à sancta
Sede Apostolica, & ob aliquod delictum,
vel defectum, utpote ob simoniam, & ob
irregularitatem, ob non publicationem
literarum resignationis intra tempus,
ob non expressum verum valorem, vel
aliam falsam relationem, ob incompati-
bilitatem, & similia, de quibus supræ,
quia tunc postquam jus in beneficia ac-
quisitum fuit alicui, & ob prædictas
causas vel defectus removeri tentatur,
omnino debet vinci in via ordinaria, &
juris ordine servato, atque tunc omnino
cessat via executiva, quia in contradic-
torio judicio condemnandus erit. Ab-
bas in cap 2. n. 7. Felin. n. 8. vers Non. de
testib. Mascard. conclus. 682 n. 17. & 18.
Farin. de testib. q. 72. n. 51. & 52. Flores
dict q. 4 num. 26. 42. & seqq. & 88. Rota
apud Garciam dict. cap 2 n. 115. 116. 117.
130. 131. 142. & seqq. & apud Ludovif.
dec. 69. per tot.

Quia

51 Quia provisus à Papa est legitimus contradictor in his terminis ad hoc ut ordinariè convincatur etiam contra alium provisum à Papa, ut tenet Thomat. dec. 68. noviter Cælius Bicch. dec. 146. n. 11 & dec. 558. n. 33.

52 Et licet provisus ab Ordinario non sit legitimus contradicitor adversus provisos Apostolicos, ut tenet Cælius Bicch. dec. 378. n. 10.

53 Attamen facta à Sede Apostolica impenetratione beneficij ex causa reservationis, de qua suprà egimus, provisus per Ordinarium, & possessor est legitimus contradictor ad impediendam executionem Literarum Apostolicarum; qui omnino audiendus erit in via ordinaria, & in judicio plenario cum causæ cognitione amovendus erit à possessione, non aliàs, quando scilicet de reservatione clare non constat, sed dubitationem in jure, vel in facto patitur; nam tunc titulus provisi ab Ordinario est coloratus, & sufficiens ad impediendam viam executivam, si de suo titulo doceat coram executori vel Ordinario, ut tenet Garcia dict. cap. 2. num. 139. & 140. Flores dict. q. 4. n. 41. & seqq. & 5. part. cap. 1. num. 413. & 430. Gonzal. in regul. 8. de alternativ. gloss 31. qui etiam loquuntur in terminis decreti irritantis reservationis, & Barb. de clausul. clausul. 40. n. 18. & seqq.

54 Quoniam ante justificationem narratorum, & quod clare pateat decretum intrare, non tollit detentationem, seu inconsistentiam facti, ex qua manutentio datur detentori, ut eleganter tradit Posth. de manut. obs. 42. n. 74 & post tract. dec. 76. n. 1. & dec. 120. n. 4. & dec. 153. n. 4. & dec. 173. n. 6. & dec. 295. n. 18. & obs. 32. n. 76. ubi multoties in Rota decisum testatur, & Barb. dict. clausul. 40. n. 25. & 29. Garcia dict. 5. part. cap. 1. n. 249. & 417. ubi explicat, & n. 435. & seqq.

55 Et quando probatio reservationis redditur dubia, & obscura, impeditur per provisum ab Ordinario immissio, & via executiva, quia requiritur quod sit clara reservatio, & taliter quod inter partes controverti non possit, ut multoties in Rota decisum tradit Garcia

5. part cap. 4. n. 21. & seqq. Posth. obs. 71. n. 71. & obs. 46. n. 18. cum seqq. ubi explicat, & ampliat.

Et quamvis quando contra provisum 56 Apostolicum instantem pro immissione competat remedium legis finalis, Cod. de edicto Divi Adriani, ubi requiritur par titulus ad impediendam immisionem natus ex eodem fonte, ut tenet Themud. dict. quest. 10. num. 14. Paul. Rub. dec. 92. num. 11. Tondut. de pensionibus dec. 7. n. 1. Clemens Merlin. dec. 46. n. 2.

Et Ordinarius non possit conferre beneficium reservatum, nec Ordinarius, nec Legatus, ut diximus suprà; & provisus non habeat titulum similem, & natum ex eodem fonte, sine quo non potest dici legitimus contradictor ad impediendam immisionem, ut tenet Garcia dict. cap. 2. num. 161. Posth. de manut. obs. 12. num. 74.

Attamen secus est quando provisus 58 per Ordinarium jam fuerit in possessione, quia tunc ad impediendam immisionem petitam à proviso Apostolico in beneficium ex causa reservationis impenetratum, non requiritur titulus ex eodem fonte, imò cum hoc proviso per Ordinarium viā ordinariā erit agendum, ut eleganter tradit Argel. de adquirenda possessione q. 18. art. 3. n. 110. ubi multas decisiones Rotæ refert ad hoc, Farin. in posthum. tom. 1. dec. 706. Put. dec. 266. lib. 3. Marchesan. de commiss. appellat. in possess. 1. part. dec. 47. fol 991.

Quæ omnia limitanda sunt quando 59 reservatio est notoria & patens, quæ nullâ potest tergiversatione, & colore celari; nam hoc casu non habetur in consideratione titulus & possessio per provisum ab Ordinario, quam meritò inficit reservatio evidens & notoria, prout testatur Rota apud Farin. in posthum. tom. 1. dec. 362. num. 3. Rota etiam coram Coccin. dec. 124. num. 7. probant etiam aliæ Rotæ decisiones penes Argel. de adquir. possess. quest. 18. art. 3. n. 110. & 111. & de legitimo contradicitore quest. 15. n. 128.

Et si provisiones Romani Pontificis, 60 aut Legati à latere, aut Nuntij, & Archiepiscopi, aut Episcopi concurrant in eadem

eadem data & die , & provisus ab Ordinario est in possessione , est legitimus contradicitor , & ejus possessio est præfrena , cap. Si à Sede Apostolica , de præbend. in 6. Gonzal. ad regul. Cancellar. §. 3. proœmial. n. 51. noviter Corona de potest Episcopi tract. 3. cap. 6. n. 4. ubi etiam quod idem est quando facta est collatio duobus à diversis eodem die , nec apparet cui prius facta fuerit , potior est conditio possidentis , ex Zerola in praxi Episcopal. part. 2. verb. Beneficium , vers. 2. Barb. in l. 1. ff. solut. matr. part. 2. n. 4. Rebuff. de pacifico possessoribus n. 297.

- 61 Et ubi est dubium , quis debeat præferri in collatione beneficij , respondeat Gloss. verb. Neuter , in dict. cap. Si à Sede Apostolica , præferendum esse illum qui prius adeptus est possessionem , itaut si beneficium vacet circa mediam noctem diei mensis , itaut cognosci nequeat , an v. g. mensis Januarius fuerit finitus , & cœptus Februarius , & dubitatur an vacaverit beneficium in mense Pontificis vel Episcopi , tunc pro possesso est judicandum , ut testatur Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 11. n. 26. Puteus dec. 207. lib. 3. Barb. p. 3 alleg. 57. n. 14. Corona ubi suprà , ubi etiam quod si in collatione Episcopi sit apposita hora , & in collatione Pontificis non , tunc collatio Episcopi prævalebit , ex Glossa verb. Nec appareat. dict. cap. Si à Sede Apostolica , de præbend. in 6. Rebuf. suprà , n. 299. Barbosa dict. part. 2. n. 10.

sionibus ecclesiasticis debeatur ; & antitularis teneatur ad solutionem ; & quomodo exigi possit , & à quibus.

SUMMARIUM.

- 1 Quid sit annata.
- 2 Annata ex quibus solvatur , & num. 3.
- 3 Annata debetur etiam in provisionibus factis à Legato à latere , aut Nuntio , etiam contradicente Archiepiscopo , aut Episcopo.
- 4 In beneficijs unitis loco annatae solvuntur quindennia , & num. 6. ubi explicatur.
- 5 Quindennia quid sint.
- 7 Solvitur annata tam in casu resignationis , quam vacationis per obitum : & quid dicendum in permutatione.
- 8 Quindennia exiguntur ab Archiepiscopo , Episcopo , vel à Prælatis Monasteriorum , in quorum favorem facta fuit unio , non obstante belli calamitate.
- 9 Cum annata debeatur de pensionibus , ad illius solutionem contribuit pensionarius pro rata.

Annata nihil aliud est , quam jus exigendi pro medietate fructus unius anni à novo beneficij possesso ; quæ solvitur in provisione , & in ipsa bullarum expeditione Officialibus Cancellariæ , de quibus , & quomodo agit Tondut. de pensionib. Ecclesiasticis cap. 10. num. 1. & 2.

Et solvitur de fructibus certis , non autem de distributionibus quotidianis , nec pro Canoniciatibus , qui solum in distributionibus quotidianis consistunt ; nec de alijs beneficijs , de quibus idem Tondut. dict. cap. 10. n. 4. & seqq. ubi eleganter explicat.

Et talis annata debetur etiam in provisionibus factis à Legato à latere , aut Nuntio Apostolico , etiam contradicente Archiepiscopo , aut Episcopo , ut probat Paris. de resignat lib. 11. q. 2. n. 56. & 57. & de stylo testatur idem Tondut. q. 10. n. 13. & n. 14. & seqq. tractat ex qui-

C A P U T LXIX.

Utrum annata aut quindennia debeantur etiam in unionibus ac provisionibus factis à Legato à latere , aut Nuntio cum ejus potestate , & ab eis possint exigi tam annatae , quam quindennia , etiam contradicente Archiepiscopo aut Episcopo : & quid sit annata , aut quindennium ? Et utrum ex pen-

Pars II.

bus

bus debeatur beneficijs , & pensionibus:
& n. 18. quod Vicarius perpetuus de sua
congrua non soluit annatam , ut notavit
Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 5. §.3. num. 77.*
nec soluitur de beneficijs unitis, ut pro-
sequitur idem Tondut. n. 18. Seraphin.
dec. 1410. n. 18.

4 Sed quoad beneficia unita loco annatae soluuntur quindennia, cum annata sit cum unione incompatibilis; non enim potest deberi annata, nisi in casu vacationis: vacatio autem non se compatitur cum unione, cum haec supponat perpetuam & indissolubilem beneficiorum unius cum alio conjunctionem, ut ex Seraphin. dec. 14 i o. n. 18. & 21. Tondut. dict. cap. 10. n. 19.

5 Quindennia autem dicuntur solutiones, quæ sunt Romano Pontifici decimoquarto quoque anno de fructibus beneficiorum unitorum alicui Collegio, Monasterio, vel Hospitali, quæ sunt manus mortuæ, ad initia novennij quod solvit per emphyteutas manus mortuas pro indemnitate Domini directi, qui mediante acquisitione facta per manus mortuas, nulla unquam perciperet laudem, ut prosequitur idem Tondut. dict. cap. 10. num. 20. & ultra cum idem tenet, licet eos non referat, Loter. de re beneficiar. lib. 1. quæst. 29. num. 1. & seqq. Frances de Ecclesijs Cathedralib. cap. 8. num. 441. Menoch. conf. 897. num. 8. de Luca in theatr. veritatis & justit. tom. 4. tit. de emphyteusi, discurs. 49. & 50. Antonel. de tempore legali lib. 2. cap. 25. num. 13.

6 Verum si unio facta non fuerit collegio, vel alteri manui-mortuæ, sed dignati, vel alteri beneficio vacabili, sicut solvitur annata de beneficio principali, ita & solvi debet de unito; quia unum non potest vacare sine alio, & per consequens cum detur vacatio, locus erit solutioni annatae, tam pro principali, quam pro unito, vel pro utroque, si unio fuerit aequè principaliter facta de utroque beneficio, ut ex Filliuc. tom. 3. tract. 41 cap. 6. n. 56. tradit Tondut. dict. cap. 10. num. 21.

7 Solvitur autem annata tam in casu
resignationis, quam vacationis per obi-

tum, ut tenet Veral. *dec. 325. num. 4. lib. 3.* Tondut. *dict. cap. 10. n. 22.* ubi etiam quid dicendum in permutatione.

Et quindennia exiguntur ab Archie- 8
piscopo , Episcopo , vel Prælatis mona-
steriorum , ad quorum favorem fuit fa-
cta unio , non obstante belli calamitate ,
ut observatum fuit in exactione quin-
denniorum facta ab Illusterrimo Nun-
tio anno transfacto 1672. & cum debea- 9
tur de pensionibus annata, ad illius solu-
tionem contribuit pensionarius pro ra-
ta , ut testatur idem Tondut. *dict. cap.*
10. num. 24.

C A P U T L X X .

**Utrum si Nuntius , aut Collector
deputatus à Papa ad colligen-
dam decimam , aut quindennia
exigenda , delinquat in com-
missione , & capiat Calices,
Missalia , & alia ornamenta di-
vinis Officijs deputata , possit
ab Archiepiscopo , aut Episco-
po puniri?**

SUMMARIUM.

- 1 Si Nuntius aut collector deputatus a Papa ad colligendam decimam, aut ad quindennia exigenda capiat Calices, Missalia, aut alia ornamenta divinis officijs deputata pro exactione, delinquit contra prohibitionem Concilij.
 - 2 Utrum possit puniri in hoc casu ab Archiepiscopis ordinarijs.

SI Nuntius aut collector deputatus à Papa ad colligendam decimam , aut exigenda quindennia , capiat Calices, Missalia, & alia ornamenta divinis Officijs deputata pro exactione , delinquit contra prohibitionem Concilij Vienensis *in Clement.* *Si beneficior de decim.*

Et potest puniri ab Archiepiscopis,²
aut Episcopis ordinarijs; nam etsi multi
sen-

senserint delegatum Papæ non posse puniri per Ordinarium loci , ubi excessum fecit , verior tamen videtur contraria opinio , prout in his terminis testatur Prosper Fagnan. *in dict. cap. Studijs, de offic. Legati, n. 17. & 18.*

C A P U T LXXI.

Utrum , & quomodo honorari , ac recipi debeant Nuntij , ac Legati à latere ab Archiepiscopis , aut Episcopis , & in eundo , ac redeundo in suis necessitatibus adjuvari , & ipsi procurationibus contribuere , & procedere adversus contravententes.

SUMMARIUM.

- 1 **Legati à latere , & Nuntij habent privilegium à jure communi , ut sint ab Archiepiscopis , Episcopisve , & ab omnibus alijs honorandi , ac dignè recipiendi , tanquam Summi Pontificis vices gerentes , & in eundo ac redeundo in suis necessitatibus adjuvandi sunt.**
- 2 **Qui contra Tyrannicè præsumperint pœnis Canonis puniendi sunt , & ipso jure excommunicationem incurront , & terræ illius interdicto Ecclesiastico subiiciuntur.**
- 3 **Et adeò est debita procuratio Legatis Apostolicis , ut contra eam nullo modo admittatur præscriptio.**
- 4 **A quibus debeat fieri contributio , & an Regulares & Equites Ordinum teneantur contribuere : & n. 5.**
- 6 **Legati à latere cum insigniis processionaliter intrant Civitates , & quomodo recipi debeant.**

Legati à latere , & Nuntij habent privilegium à jure communi , de quo *in cap. Accedentes , de præscriptionibus* . ut sint ab Archiepiscopis , Episco-

pisve , & ab omnibus alijs honorandi , ac dignè recipiendi , tanquam summi Pontificis vices gerentes , & in eundo ac redeundo in suis necessitatibus adjuvandi , *cap. Cum instantia 17. cap. Procurationes 23. de censib. & ibi Barb. & Fagnan. post Azor. Surd. & Belleta : Auguit. Barbos. de jure ecclesiastico lib. 1. cap. 5. num. 14. Villarroel. Govierno Ecclesiastico , y pacifico , 1. part. quæst. 4. art. 3 num 13. & 14. ubi multos refert: & art. 4. agit quomodo à Principe aut Rege debeant admitti , aut recipi. Prosper Fagn. *in cap. Responso, n. 47. de sentent. excom pag. 190. explicat Frag. de regim. reip. part. 2. lib. 4. c. 10. §. 1. & n. 4. Salced. theatr honoris gloss. 20. per tot. ubi eleganter, & n. 56. de forma, cum qua recipi debeat Cardinalis à Rege in ingressu legationis : & ibi multa refert, ubi etiam an ei , & Episcopis debeantur thronus , & solium.**

Qui verò contrà tyrannicè præsumperint , sunt pœnis Canonis puniendi & ipso jure excommunicationem incurront , & terræ illius interdicto Ecclesiastico subiiciuntur , extravaganti Inter gentes , de consuetudine , inter communies Aug. Barbos. de potest. Episcopi alleg. 50. num. 234. & de jure ecclesiastico dict. lib. 1. cap. 5. num. 14. Prosper Fagn. ubi suprà , Fragos. ubi suprà & num. 11. ubi quid facere debeat Legatus quando vult ingredi provinciam suam , ad hoc ut benè recipiatur , & Prælati non defiant in pompa , & receptione.


Et est adeò debita procuratio Legatis Apostolicis , ut contra eam nullo modo admittatur præscriptio , ex textu *in cap. Accedentes , de præscriptionibus*. *Cum instantia , de testibus. Gloss. verb Exemptione , in Clementin 1 de censibus*, August. Barbos. *dict. cap. 5. numer. 15. ubi etiam præstat rationem , & resoluit à quibus debeat fieri contributio: & melius *in cap. accedentes 11. de præscriptionibus*.* Tam burin. *de jur. Abbat. disp. 10. quæst. 4. n. 2.* ubi quod Legatis , aut Nuntijs Apostoli cæ Sedis , sive Metropolitanis procurations aliquas , vel subsidia non tenentur Regulares soluere ex Bullis Apostolicis , de quibus ibi. Fermosin. *in cap. Accedentes , de præscript. ut in cap. Cum ex of-*

172 Tract. de Competent. inter Archiep. &c.

ficij, 16. sub tit. de censibus, & in cap. Cum instantia 16. cap. Super eo 22. cap. Procurations 23. cap. Venerabilis 24. cap. Cum nuper 25. & cap. fin. ubi etiam de ipsis procurationibus debitibus Episcopis, & Visitatoribus. Eagn. in cap. Inter cetera, de offic. Ordin. num. 16. pag. 458. & in cap. Procurations, uum. 22. de cens. pag. 276. explicat & per totum Concil. Trid. August. Barbos. in collect. sess. 24. de reform. cap. 3. numer. 19. & seqq. ubi etiam de procurationibus debitibus Episcopis visitantibus.

5 - Et Equites Ordinum Militarium, aut Hierosolymitani tenentur soluere procurations, & subsidia Legatorum Sedis Apostolicæ, ut tenet Cardinal. Tusch. tom. 4. conclus. 108. vers. Hierosolymitani, num 2. Sperellus dec. 21. part. 1. n. 78.

6 - Et cum insignijs, de quibus Barbos. dict. cap. 5. num. 18. usque ad 22. processionaliter intrant Civitates, & oppida sub pallio; & sic ingredientes Clerus, & populus solenni supplicatione & pompa excipiunt: Archiepiscopi & Legati alij minores crucis signum, quod ante ipsos deferri solent, deponunt, cap. Antiqua, de privileg. August. Barb. dict. cap. 5. num. 23. Azor instit. moral. cap. 2. lib. 5. cap. 27. quæst. 7. verb. Ingressus, Fragos. de regim. reip. tom. 2. lib. 4. disp. 10. §. 1. num. 4. & 11. ubi explicat.



C A P U T LXXII.

Vtrum Nuntius cum potestate Legati à latere, aut Legatus à latere valeat assistere matrimonio, & assistendi licentiam concedere in Diœcesi Archiepiscopi, aut Episcopi, eis contradicentibus: & quis ad hoc sit ordinarius respectu talis concessionis.

S U M M A R I U M.

1 Episcopus, vel Archiepiscopus in sua

Diœcesi sunt Ordinarij; & an valeant assistere matrimonio, & assistendi licentiam concedere, & quando, & quomodo: & num. 2. & 3.

- 4 Et quid in Cardinali.
- 5 Et quid in Legatis à latere.
- 6 Et quid in alijs Legatis Pontificis.
- 7 Et quid in Capitulo Sede vacante.
- 8 Et quid in Abate Ecclesiæ nulli Epis. copo subjectæ.
- 9 Et quid in illis qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent.
- 10 Et qui in Provisore, aut Vicario generali Episcopi: & an sufficiat licentia tacita, an requiratur expressa.

Conveniunt omnes, Episcopum, vel Archiepiscopum in sua Diœcesi esse Ordinarium; non tamen comparatione subditorum suffraganeorum, quia comparatione horum Ordinarius non est nisi in casibus specialibus, ut deciditur in cap. Pastorale, in princip. de offic. Ordinar. & ibi Aug. Barbos. in collect. Etan. Pichon. de matrim. disp. 3. cap. 3. num. 152. Barb. de potest. Episcop. alleg. 32 num. 125. cum multis Aug. Barb. in collect. ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 1. num. 104.

Casus autem speciales sunt primò, si actu visitaret suffraganeos; etenim eo tempore Ordinarius censetur, teste Henr. lib. 19 cap. 13. num. 3. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 28. n. 3. & 4. Suar. tom. 4. in 3. part disp. 25. sess. 1. num. 14. Coninch. de matrim. disp. 17. num. 27. Pichon. dict. num. 152.

Secundò extra tempus visitationis, denegatā ab Episcopo licentiā, si fuerit causa ad Archiepiscopum per appellationem devoluta: tunc enim causā cognitā, & sententiā prolatā, cui locus appellationi non sit, poterit ei matrimonio assistere, vel licentiam concedere, sicut resoluunt Spino de testament. gloss. 15. num. 39. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 28. n. 4. Guttier. de matrim. cap. 66. num. 3. Pichon. dict. num. 152. August. Barb. dict. num. 104.

Deinde censetur Ordinarius Cardinalis respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli, quia habent jurisdictionem quasi Episco-

Episcopalem, ex textu in cap. *Iis quæ, de maioritate & obediencia tradunt Navarr.* lib. 4. consilio. tit. d. sponsalib. cons. 47. alias de clandestina defensione cons. 14. num. 1. Sanchez dict. disp. 28. num. 7. Guttier. dict. cap. 66. num. 9. Pichon. dict. disp. 3. n. 153. August. Barbos. ad Concil. sess. 24. de reform. cap. 1. n. 102.

5 Item etiam Legatus à latere, quia respectu provinciæ suæ legationis potest interessere matrimonij, & alijs licentiam interessendi concedere, ut resoluunt Sanchez dict. disp. 28. n. 4. Guttier. dict. cap. 66. num. 10. & canonicar. lib. 1 cap. 11. num. 6. Pontius de impediment. matrimonij lib. 5. cap. 10. num. 7. August. Barb. de jur. Eccles. cap. 5. num. 73. lib. 1. Pichon. dict. disp. 3. num. 154. August. Barbos. ad Concil. dict. cap. 1. n. 101.

6 Item sunt Ordinarij in hoc casu omnes Legati Pontificis in Provincia suæ legationis, ut sunt Nuntij, aut Collectores per viam appellationis, sicut Archiepiscopus respectu Episcopi, ut suprà diximus, & probat Sanchez n. 8. Coninch de matrim. disp. 27. n. 17. & dub. 2. num. 16. Pichon. dict. disp. 3. num. 152.

7 Præterea censeri Ordinarium Capitulum Sede vacante, tradit Coninch. n. 17. Guttier. dict. cap. 66. num. 5. Pichon, ubi suprà, num. 153. Aug. Barb. dict. cap. 1. num. 100.

8 Item Ordinarius censetur Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subjectæ, ut colligitur ex cap. *Joannes, de testam.* & tradit Henriquez lib. 11 de matrim. cap. 3. n. 4. Ledesma de matrim. q. 45. art. 5. punct. 3. paulò ante dub. 4 Sanchez dict. disp. 28. n. 6. Pichon. dict. n. 153. Aug. Barb. ad Concil. dict. cap. 7. n. 99.

9 Et etiam omnes illi, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent, comparatione subditorum Ordinarij censentur, ut bene comprobant Sanchez, Guttier. Coninch. ubi suprà.

10 Denique licet sit controversum, an Provisor, seu Vicarius generalis Episcopi, seclusa speciali commissione possit matrimonio assistere, & Sacerdoti licentiam concedere? Et neget Sot. in 4. dist. 28. q. 4. art. 3. vers. Circa concessiones; nihilominus dicendum est nomine Ordinarij

Provisorem, & Vicarium generalem Archiepiscopi, aut Episcopi, & Capituli Sede vacante comprehendendi; & tenendum est esse Ordinarium, & posse licite, & validè matrimonio assistere, & licentiam alteri Sacerdoti assistendi concedere. Ledesma in summa, 1. part. de Sacrament. Matrimonij, cap. 4. conclus. 4. dub. 17 Henriquez dict. cap. 13. num. 4. Sanchez lib. 3. disp. 29 num. 18 Guttier. Canonicar. quæst. lib. 1. cap. 19. num. 13. & de matrim. cap. 66. numer. 12. & cap. 69. num. 9. Coninch disp. 27. dub. 2. num. 17. Layman. lib. 5. summæ, tract. 10. 2. part. cap. 4. n. 5. Pontius lib. 5. cap. 11. n. 1. Hurtadus disp. 5. de matrim. difficult. 9. n. 32. ita tenet Castro Palao de sponsalib. disput. 2. punct. 13 §. 11. ubi n. 4. respondet ad contraria: & vers. Notanter, limitat in Vicario foraneo, & §. 12. tractat qualiter Parochus, & Ordinarius licentiam assistendi matrimonio concedere debeant, vel possint; & ibi etiam an sufficiat facultas tacita, vel sit necessaria expressa: & ita manet resoluta supradicta quæstio. De qua materia est etiam videndus Pichon. dict. disp. 3. num. 155. & seqq. August. Barbos. dict. cap. 1. numer. 105. & 106.

C A P U T LXXIII.

Vtrum Archiepiscopi, aut Episcopi criminosi citari possint ab aliquo Judice Ecclesiastico Papâ inferiore, ut compareant coram illo; & an possint deponi, aut Ordine privari per Legatum de latere, Nuntium, Patriarcham, absque Pontificis speciali mandato: & quæ sint crimina depositione, aut suspensione digna.

S U M M A R I U M.

1 Delicta que sunt depositione aut privatione digna referuntur.

- 2 Archiepiscopi, aut Episcopi citare non possunt ut coram inferiore Papâ personaliter compareant, sive procedatur ex officio, sive alio quovis modo.
- 3 Adeò procedit, ut ex quovis delicto etiam atrocissimo ad Romanum Pontificem citari non possint, nisi in primis accedat specialis commissio manu Papæ signata.
- 4 Archiepiscopi aut Episcopi etiam ob enormissimum crimen non nisi à solo Pontifice valent deponi, cognosci, aut privari, ita ut nec à Provinciali Concilio, nec à Patriarcha, nec à Legato de latere, aut Nuntio absque speciali mandato deponi possint.
- 5 Quibus testibus probetur delictum Archiepiscopi aut Episcopi, & à quo numero Episcoporum condemnentur, quando à Papa specialiter cognitio commissa sit: & quid si pluribus delegetur Judicibus, an debeat omnium esse sententia consors, ut queant deponi.

Delicta quæ sunt depositione, aut privatione digna, sunt crimen hæresis, crimen læsæ Majestatis contra summum Pontificem, vel Reges; si Episcopus sit assassinus, vel si falsificet literas Apostolicas; si agrorum depopulator sit, si sit inobediens summo Pontifici, si sit simoniacus simoniâ reali, si in monasterijs stupret virgines, & si sit falsificator monetæ, ut cum alijs tenet Fermosinus *criminal. tract. 1. ad textum in cop. Si quis, de accusationib. quæst. 3. n 3. ubi* alios refert.


2 Et isti tales citari non possunt à supradictis, ut personaliter compareant, sive procedatur ex officio, sive alio quovis modo, ut cavetur in sacrofani Concilij Trident. decreto *sess. 13 Salzed. ad Bernard. Diaz in practic. cap 124. lit. A. Sbrozius de Vicario Episcopi lib. 2. q. 59 n 1. & 2. Gratian. forens cap 169. n 15. Fermosin. dict. quæst. 3 n 1.*

3 Et in tantum procedit, ut ex quovis delicto etiam atrocissimo ad Romanum Pontificem citari non possint, nisi in primis accedat specialis commissio manu Papæ signata, ut sancivit Pius IV. prout

testatur idem Fermosin. num. 2. Kochier de jurisdictione ordinaria in exemptos 1. part. quæst. 41. præcipue si resideant. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 41. Aug. Barb. alleg. 112. num. 6. in fin. part. 3. de potest. Episcop. Concil. Trid. de reformat. sess. 14. cap. 8. & ibi multos refert Barb. & sess. 24. cap. 5. & de potestat. Episcop. 3. part. allegat. 112 num. 3.

Et ideo Archiepiscopi aut Episcopi etiam ob enormissimum crimen, non nisi à solo Papa valent deponi, cognosci, aut privari, ita ut nec à Provinciali Concilio, nec à Patriarcha, nec à Legato de latere, absque speciali mandato Papæ deponi, aut privari possint, ut ex Glossa in cap. 2. de translatione Episcoporum. & ibi Barbos. num. 3. & alleg. 112. num. 3. tradit Fermosin. dict. quæst 3. num. 4. & 5 & seqq. (ubi etiam quid in Inquisitoribus circa hæresim:) & in cap. 1. de translat. Episcoporum. n 4. Tondut. part. 2. cap. 4. §. 6. num. 11. Concil. Trid. ubi supra, & Barb. proximè.

Nec etiam à Nuntio Apostolico, ut multis tradit in terminis Nuntij Hispaniæ idem Fermosin. in dict. cap. *Si quis, de accusationib. quæst. 2. num. 8. & sequentib.* nisi cognoscatur ex commissione Apostolica: & quæstione 4. agit quibus testibus probetur delictum: & à quo numero Episcoporum condemnentur, quando à Papa specialiter cognitio commissa sit, & quid si pluribus delegetur Judicibus, an debeat omnium esse sententia consors, ut queant deponi; & ibi omnia tradit circa materiam.



C A P U T LXXXIV.

Vtrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit committere causas appellatio-
nis interpositæ expresso nomi-
ne ad Summum Pontificem, &
specialiter à sententia lata ab
Archiepiscopo, aut Episcopo
delegato summi Pontificis, aut
ab alio

ab alio delegato etiam commis-
fario Sanctæ Bullæ Cruciatæ:
& de praxi coimissionis appelle-
tationis, & compulsoriæ con-
cedendæ, ac litium reformatio-
ne, vulgo Nihil transeat? Et
quid si plures sint judices no-
minati, & prior mortuus fue-
rit, & an possit appellatus pe-
tere commissionem, & nomi-
nare & prævenire, & quomodo
& quando? Et quid in appella-
tione interposita à Religioso, &
ad quem debeat interponi ap-
pellatio, & à quo peti commis-
sio debeat.

SUMMARIUM.

- 1 Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere possit committere appellationes interpositas expresso nomine à Summo Pontifice.
- 2 Utrum Nuntius aut Legatus possit committere causam appellationis interpositæ à sententia lata à delegato Summi Pontificis.
- 3 Quando Ordinarius pronuntiavit in causa definitivè interponitur appellatio, & quomodo, & de praxi ad consequendam commissionem Illustrissimi Nuntij, & de requisitis ad hoc: & n. 4.5. & 6.
- 7 Quid in commissione impetrata à Summo Pontifice & in judicibus nomina-
tis impeditus, & ad quem competit Judicis electio, an ad appellantem, an verò ad appellatum: & n. 8. 9. 10. 11.
12. & 13.
- 14 Appellans consentiendo gravamini re-
nuntiat appellationi, & non potest im-
petrare.
- 15 Si appellans non impetravit commissio-
nem intra tempus decretum à Judice,
potest appellatus impetrare commissio-
nem.
- 16 Neque etiam si appellatio fuit deserta
ob non prosequitionem intra termi-
num.

- 17 Vel etiam quando appellatione interpo-
sitâ ad Papam, vel ad Nuntium, aut
inferiorem, appellans prorogavit ju-
risdictionem inferioris: & n. 18. 19.
20. 21. & 22.
- 23 Quid in adhærente appellationi adver-
sarij, quia adhæsio appellationi adver-
sarij producit eosdem effectus ac si ipse
appellasset.
- 24 Commissio super appellatione resoluta,
& quæ iam non stabant, nullam tribuit
jurisdictionem, & per consequens om-
nia viriute illius sunt nulla, & com-
missione principali deficiente, aut reso-
lutâ, resoluuntur simul omnes clausu-
læ, & ceteræ qualitates ab ea depen-
dentes: & num. 25.
- 26 Quid dicendum si appellatio recepta
fuit ad Nuntium, & postea impetra-
tur rescriptum Papæ: & num. 27.
- 28 Quid dicendum in tribus sententijs
conformibus, & quæ dicantur senten-
tiæ conformes.
- 29 Rescriptum contra jus, aut sententia
illius executionem impediens non ad-
mittitur, & quomodo procedat: & n.
30. 31. 32. 33. 34. 35.
- 36 Commissio super sententia, aut illius
executionem impediens non transfert
jurisdictionem, & est nulla: & n. 37.
- 38 De praxi Decreti Nihil transeat.
- 39 Si Iudex Papæ excedat commissionem,
an possit interponi appellatio ad Nun-
tium.
- 40 De praxi compulsoriæ, & remissione
processus usque ad definitivam, &
post illam, remissivè.
- 41 Quid dicendum in appellatione inter-
posta à Religioso, qui omisso medio pe-
nit commissionem Nuntio, & quando
possit appellare.
- 42 Nuntius quando possit cognoscere de
appellatione interposta à Conserva-
tore.

R Elicita controversiâ, an Nuntius cum potestate Legati à latere pos-
sit committere appellationes interposi-
tas expresso nomine ad Summum Pon-
tificem, de qua agunt DD. de quibus su-
prâ cap. 33. num. 11. & ultra eos optimè
Fermosin. in cap. Si duobus 7. quæst. 1 &
num. 7.

num. 7. & seqq. Fagnan. in cap. Studiisti, de offic. jud. deleg n. 18 & seqq.

2 Magna oritur inter Doctores controversia, utrum talis Nuntius, aut Legatus possit committere causam appellationis interpositæ à sententia lata à delegato Summi Pontificis: De qua agunt eleganter Reynos. obs 60 Prosper Fagn. in cap. Studiisti, de offic. Legati, num 28. & seqq. D. Antonius Mascarenhas na relaçam dos procedimentos que teve como Comissario da Crusada com o Reverendo Colletoor Joam Baptista Paloto, pag. 45. vers. & seqq. ubi etiam an possit committere appellationem interpositam à Comissario generali Cruciatæ Bullæ: de qua re etiam in specie Prosper Fagnan. ubi supra, explicat Fermosin. dict. cap. Si duobus, de appellat n. 37. & seqq. & nos infrà dicemus latè: Monet. de Conservat cap. 4. num. 25. ubi etiam an possit cognoscere de appellatione interposita à Conservatore.

3 Quando Ordinarius jam pronuntiavit in causa ad se spectante, definitivè interponitur appellatio intra decem dies in forma Ord. lib. 4. tit. 70. & Jurium de quibus Barb. in remiss. ad quam interponendam datur copia actorum Advocato, quam in scriptis interponit, & recipitur, aut non admittitur & sic recipitur, dum constet per publica documenta, quæ realiter exhibeantur intra debita tempora, fuisse interpositam, & à sententia diffinitiva, vel habente vim diffinitivæ, aut à gravamine, quod per diffinitivam sententiam reparari non possit in forma declarata à Sacra Congregatione anno 1600. quam refert Quaranta in Summa Bullarum, verbo Archiepiscopi authoritas, Ciarlin. 2. tom. cap. 125. Petitur etiam absque mandato commissio, seu commissionis breve Illustrissimo Nuntio per quoddam memoriale cum brevi casus, & litis relatione, & ab eo conceditur commissio directa suo Auditori, aut alijs Assessori suæ Nuntiaturæ: & etiam quando non recipitur appellatio à Judice à quo, quia tunc habet vigorem capit. Sæpe 44 vers. Quod si, de appellationibus.

4 Licet contrarium, scilicet quod re-

quiratur appellatio effectiva, & admissa per Judicem à quo, teneat Innocent. in cap. Si justus, in fin. de appellat. Grammat. dec. 36.

Potest enim patere commissionem appellans, etiam non admissa appellatio, cap. Ab eo, vers. Ut is à quo, & cap. Ut super, de appellationib. in 6. Clementin. quan- diu, de appellationib. ibi: Appellat. nem suam ut tunc prosequi possit appellans.

Constando prius de appellatione, ex 6 Gratian. cap. 17. num. 3. & tunc concessa commissio datur Notario, & conceditur compulsoria, & citatoria, ut de stylo Castellæ testatur Fermosin. prax. Tribunal. super cap. fin. de libelli oblatione, quæst. 4. n. 30. 31. & 32. §. 8. de qua, & de praxi testatur idem Fermosin. §. 2. & 9. & eleganter Parexa de instrumentor. edit. tit. 3. resolut. 2. per tot.

Et eodem modo petitur commissio 7 Summo Pontifici Domino nostro, qui sollet non dare unum Judicem solum, sed plures nominat in rescripto, ut quilibet in solidum procedat, & cognoscere valeat de appellatione, ob vitanda pericula, & parcendum sumptibus, & expensis impetrantis, cùm fortè unus qui nominatur poterit interim vel decedere, vel longè abesse, vel aliquo juris impedimento ad judicandum detineri: providè idcirco plures nominantur, quibus in solidum commissio dirigitur, & ab uno cœpto negotio alij excluduntur, non perpetuò, sed quoad exercitium dumtaxat; ita ut si is qui cœpit cognoscere, decedat, vel aliquo impedimento detineatur, alter ex cognominatis possit liberè causam in eodem statu accipere, & liberè prosequi, cùm is qui primitus præoccupavit jurisdictionem, quoad cæteros simul perpetuavit eandem, ut determinavit textus in cap. Cum plures 8. de offic. Ordinarij, lib. 6. cum multis Barb. in collectan. num. 2. Paz. de tenut. tom. 2. cap. 49. sub num. 5.

Et tunc licet idem Paz dicat, quod si cut in potestate impetrantis fuit rescripto uti, vel non uti; sic etiam privative pertinet ad eum jus eligendi alium Judicem ex pluribus primo mortuo, ex Glossa in cap. Quoniam Abbas, de offic. dele-

delegati, & ex ratione capit is Oblatæ, de appellationib. ubi ille qui appellavit, nequit præveniri in Judice impetrando, nisi prius requisito appellante, non constito de mora.

9 Attamen contrarium est verius, & certum est in cujuslibet partis esse facultate ad quemlibet eorum recurrere, sicut etiam cui libet Judici ex superstitionibus licet prævenire, & præoccupare, licet, cum omnes in solidum sint effecti competentes, & quoad omnes, & singulos à primo fuerit perpetuata jurisdicitione: quod probatur ex frequentibus.

10 Nam licet impetrans rescriptum possit eo non uti, aut renuntiare re integra, hoc est antequam illum presentet, & ejus virtute adversarius citetur; tamen postquam eo uti cœperit, & citatus fuerit adversarius, ei amplius renunciare non potest, nec durat facultas illo ad suum libitum utendi, vel non utendi; quia per citationem jam rescriptum pariter effectum est commune utriusque parti, & ex eo adversario suo citato jus quæsitum, qui eo uti potest eo modo, quo & impetrans, ut tenet Sacra Rota apud Marchesan. *de commiss. tom. 1. pag. 171.* Beltram. *in add. ad Ludovis. dec. 557. n. 7.* Et ita postquam commissio effecta fuit communis utriusque parti, cui libet ex ea quæritur jus æqualiter; & quemadmodum licet uni eligere, & nominare judicem superstitem, ita pariter & alteri, ut inter eos præventioni, & præoccupacioni locus sit. Inter enim habentes æquale jus melior est conditio prævenientis, *l. quoties utriusque 99. ff de reg. jur. Solis de censib. lib. 3. cap. 5.* Mascard. *conclus. 1234.* Gonzalez *ad reg. ae mensib. §. 3. proæm. n. 22. & n. 1. & seqq.* probat textus *in cap. Dudum 14. §. Nos igitur, de præbend. lib. 6. ibi: Propter quod nostra, qui eadem præoccupavimus potestatem, posterior debet esse conditio: cap. Si à Sede 31. eod. tit. cap. Si plures, §. Porro, de offic. deleg. in 6. & ibi DD.*

11 Et meritò, quia quando quis habet plures judices & foros, quos fortitur, adversarius qui prius provocat, potest quem maluerit eligere, & coram ipso lis omnino tractanda erit, etiam invita, &

Pars II.

renuente altera parte, ex Glossa ult. in fine, in l. Actor, fin. Cod. ubi in rem actio, Carleval. *de judic. lib. 1. tit. 1. disp. 2. quæst. 3. n. 152.* Covar. *lib. 1. var. cap. 18. num. 6.* & ibi Faria *in add.*

Hinc superest responsio doctrinæ 12. Glossæ, in qua fundatur Paz num. 11. quia loquitur in casu diverso, & versatur circa materiam capit is Oblatæ, de appell. quando quis appellavit, & appellatus supplantans adversarij appellacionem nimis præcurrit, & impetrat commissionem super alterius appellacione non sua, cum appellanti dumtaxat impetrandi hæc facultas concessa sit à jure, *ex dict. cap. Si duobus, & dict. cap. Oblatæ.* Quæ doctrina sic considerata in istis terminis, quibus res adhuc est integra, & in suo principio, perperam adaptatur nostro casui considerato jam quando res definit esse integra: ea tamen rectè curreret, & tunc adaptaretur casui nostro, dum in eo adhuc durat facultas impetranti privativè eligendi judicem quemlibet ex nominatis in suo rescripto, co quod tunc liberum est ei eligere. At nos versamur in re longè diversa, & in terminis omnino dissimilibus, quando res jam non est integra, cum jam ipse impetrans elegit, & judex electus cœpit cognoscere, & sua facultas eligendi fuit extincta; & quando commissio ipsa facta fuit communis adversario, & ex ea jus æquale ei quæsitum, atque omnia jam novata sunt, & alterata: tunc quippe adversario pariformiter competit jus eligendi, & præveniendi judicem superstitem, ex hac tenus comprobatis; quo casu bene quadrat doctrina dicti capit is Oblatæ, in terminis sumpta, quibus res definit esse integra, prout contingit quando postmodum appellanti præfixus fuit terminus ad impetrandam commissione, intra quem tamen illam distulit impetrare; quia tunc statim fuit quæsumus jus æquale adversario suo præveniendi, & præoccupandi impetracionem, *ex dict. cap. Oblatæ,* de quo Marchef. *de commiss. part. 1. cap. 26. de commiss. appell. vigor. cap. Oblatæ:* & ita non convenit assertioni Paz, sed in totum refragatur.

13. Idem etiam procedit quando primus judex est absens in notabili distantia, *ex dict. cap. Cūm plures 8. de offic. judic. deleg. lib. 6. cap. Si us cui 10. eod. tit. per quæ jura, & capit. 2. de procurat. lib. 6. conveniunt DD. absentiam judicis sufficiens esse impedimentum non solum ad eum excusandum à munere judicandi, ex regula legis penultimæ, ff. de vac. mun. sed etiam ad jurisdictionem in alium transferendam. Aug. Barb. in dict. cap. Si us cui, n. 7. Tusc. lit. A, concl. 33. n. 10.*

14. Et etiam recepta appellatione stylus est, quod Reverendus Auditor assignat terminum styli, qui est viginti dierum, juxta ea quæ tradit Scacc. de appell. q. 11. & 12. Et si contingat ut appellans non petat commissionem intra terminum, vel eam non committat, & pars appellata vult ad ulteriora procedere defendendo sententiam favorablem quam habet, poterit petere ab Illusterrimo Nuntio, ut committat causam; dum tamen constet, quod intra tempus assignatum, post citationem appellantis, aut procuratoris appellans ipse non petivit commissionem, ut tradit Fermosin. in praxi Tribunal. super capite fin. de libel. oblat. §. 2. & §. 8. n. 33. Bajo part. 2 lib 2. prax. Eccles. cap. 40. textus est elegans in cap. saepe 44. §. Quid, de appell. & ibi Fermosin. & August. Barb. in collect. ubi explicat, & eleganter idem Fermosin. in cap. Cūm Romana 5. de appell. q. 6. n. 6. & seqq. ubi optimè explicat num. 12. ex Barbos. quod Legatus in hoc Regno derogat temporis textus in cap. Oblatae; & potest committere ad instantiam appellati. Nisi interponatur appellatio omisso medio, quia tunc non potest Nuntius Illusterrimus committere, nec cognoscere, ut tenent multi, quos Ego ipse refero forens. cap. 15. num. 4. textus est in cap. Dilecti 66. de appell. ubi quod solum ad Papam potest appellare omisso medio, & non ad alium, ut ibi tenet Barb. in collect. & explicat in cap. Antiqua, num. 25. de privileg. & in cap. Quoad translationem, de offic. Leg. latè Fermosin. in cap. si duobus 7. de appell. quest. 1. per tot. ubi explicat & limitat multis modis.

15. Vel appellans consentiendo grava-

miui renunciat appellationi, vel inhibitioni virtute appellationis expeditæ; vel cessat causa gravaminis, vel appellationis, quia tunc cessat appellatio, & inhibitio, & non potest appellans impetrare commissionem, cap. Cūm cessante de appell. & ibi Barb. Fermosin. & Fagn. Salgad. citatus à Reverend. Auditore de reg. protect. part. 1. cap. 5. n. 17. & seqq & n. 78 eleganter Paris. conf. 169. col. 3. vers. Postremo, lib. 4. Tiraq. tract. cess. causa, n. 234. Bald. in l. 1. §. Consules, vers. Item nota, de offic. Consul. per l. Quæsitum, ff. de tutel. firmat quod commissionis causa cessante cessat ipsa commissio. Rota apud Alex. Ludovis. dec. 418. à princip. ubi de inhibitione.

Neque etiamsi appellatio fiat deserta 16 ob non prosequutionem intra terminum; tunc enim non potest appellans impetrare commissionem: & non obstante eâ, nisi dentur impedimenta & restitutions, de quibus Giurb. dec. 18. Fermosin. in cap. fin. de appell. q. 1. & 2. potest Judex à quo reassumere causam, & procedere, sententiamque suam exequi. Franc. in cap. Ad aures 33. sub num 1. de appell. explicat Scacc. de appell. quest. 11. num. 167.

Vel etiam quando in appellatione interposita ad Papam, & ad Nuntium, aut inferiorem, appellans ad Papam tacite, vel expressè prorogaret jurisdictionem inferioris; tunc enim non potest impetrare commissionem, nec virtute illius potest judex nominatus procedere: nam licet nota sit conclusio, quod ex duabus appellationibus ab utraque parte interpositis ab eadem sententia, una ad Nuntium, aut inferiorem; altera ad Papam, ista prævaleat, & totam causam devolvat, ex cap. Si duobus, de appellat. ubi DD. Barb. & Fermosin.

Tamen dictus textus in dict. cap. Si duobus, non procedit quando appellans ad Papam tacite aut expressè prorogaret jurisdictionem inferioris, quo renunciasset videtur devolutioni suæ appellationis quantum ad Papam. Scacc. de appell. q. 17. limit. 2. n. 22.

Quoniam licet verum sit, quod ex duabus appellationibus ab utraque parte emis-

te emissis, una ad Papam, altera ad inferiorem, illa prævaleat; tamen hæc prælatio, & devolutio non est tantæ efficaciam, & tam absoluta, quin etiam inferiori adquiratur jurisdiction, licet elidibilis ope exceptionis, ex dict. cap. Si duobus, ibi: *Tenebit excommunicationis sententia*, ut resoluit Franc. ibid. n. 13. & seq. vers. In verbo, Scacc. de appell. q. 10. n. 15. Aug. Barb. in collect ad dict. text. num 4. concludentes quod interim potest inferior procedere.

20. Et cum ista jurisdiction sit elidibilis, valet prorogari, ut tenet Barb. in l. 1. art. 1. n. 190. ff de judic. Barb. dict. num. 4. & quemadmodum per comparationem coram inferiore absque protestatione appellans intelligitur renuntiare suæ appellationi, & prorogare jurisdictionem ejusdem, textus in cap. *Solicitudinem*, de appell. de quo Nos forens cap. 14. per tot. ubi etiam quando protestavit, & Scacc. de appell. dict. n. 12. & seqq.

21. Eodem modo quando concurrunt hæc duæ appellations, una ad Papam, quæ prævalet, altera ad inferiorem, si postmodum appellans ad Papam compareat coram inferiore, videtur renuntiare devolutioni ad Papam, & prorogare jurisdictionem alias elidibilem inferioris, qui impunè de cætero procedit in causa, ut tenet Scacc. de appell. 2. part. q. 10. sub n. 13. vers. *Tertius casus*.

22. Et ita ei non prodest commissio, quia prorogatio semel facta revocari amplius non potest, ut tenet Francisc. Bichius conf. 22. num. 5. vol. 1. Cornaz. dec. 140. num. 3.

23. Idem est in adhærente appellationi adversarij; adhæsio enim appellationi adversarij producit eosdem effectus ac si ipse appellasset. Scacc. de appell. q. 17. lim. 21. Lancellot. de att. 2 part. cap. 12. limit. 2. n. 21. cum seqq. & limit. 44. per tot. Gabriel conf. 38. lib. 3. Rot. apud Ludovic. dec. 223. & ibi Add. Beltram. num. 9. explicat Fermosin. in rubric. de appell. quæst. 4. n. 57. & 58.

24. Et cum ante imputationem consequam comparet appellans coram Nuntio, aut Archiepiscopo, & suæ appellationi tacite renuntiat, commissio

super appellatione resoluta, & quæ jam non stabat, nullam tribuit jurisdictionem, & per consequens omnia virtute illius sunt nulla. Cæsar de Grass. decis. 8. num. 4. Marchef. de commiss. part. 1. cap. 3. num. 220. pag. 170. tom. 1. Gratian. cap. 17. Scacc. de appell. quæst. 3 & ideo commissione principali deficiente aut resoluta, resoluuntur simul omnes clausulæ, & cæteræ qualitates ab ea dependentes. Put. dec. 1. lib. 1. multas decisiones Rotæ allegat Martha de claus. claus 19. n. 15. Salgad. de reg. protect. 2. part. cap. 2. & 4. num. 37.

25. Et loquendo in nullitate inhibitionis expeditæ hujus commissionis virtute tradit Lancellot. de attent. 2. part. cap. 20. limit. 12. n. 1. & seqq. ubi aliquas decisiones Rotæ adducit, & Gratian. ubi proximè, num. 1. reddentes omnes rationem, quia commissio super non ente nullam tribuit jurisdictionem: optimè Ludovic. dec. 418. Cavaler. dec. 2. num. 6. Grass. dec. 2. num. 1. & seqq. de rescript. Cassad. dec. 1. de rescript.

26. Et quid dicendum quando appellans à sententia Reverendi Auditoris lata virtute commissionis Illustrissimi Nuntij, ille recepit appellationem ad dictum Nuntium, licet expresso nomine interpositam ad Summum Pontificem in secunda instantia, ut potest ex Tanagi. quem allegavimus cap. 33. num. 10. & assignavit tempus ad illius prosecutio nem in styli forma, & transactio dicto tempore appellatus impetravit rescriptum, ut potest, ut diximus hoc capite, num 12. & coram nominato judice dicit illum esse suspectum, & fatendo suspicionem, altera commissio impetrata fuit, virtute cuius judex nominatus processit, & appellans non consentit, sed protestat de nullitate, & postea venit rescriptum concessum à Summo Pontifice, an in hoc casu pertineat cognitio ad Judicem nominatum ab Illustrissimo Nuntio, an vero ad nominatum à Papa.

27. Si pars consentit, & coram judice nominato à judice aliqua allegavit, est sine controversia resolutio in favorem dicti Judicis, ex dictis. Sin vero non consen-

tit, sed semper protestat de nullitate, idem mihi videtur; quia cum Illustrissimus Nuntius possit cognoscere, & committere causam appellationis interpositæ etiam expresso nomine ad Summum Pontificem, ut dixi *d. cap. 33. n. 10.* semper primum rescriptum prevalere debet, & præferentiam obtinere secundo, quod in his terminis est subreptitium, quia jam non erat introducta causa in Nuntiaturæ Tribunal per commissiōnem, & acceptationem, & partis adversæ citationem, juxta supradicta: & ita consultus in hoc anno 1673. in causa Fratrum Virginis de Loretto, cum Capitulo Uliſſiponensi, resolui, & fuit declaratum apud Notarium Emmanuelem Monteiro de Silva in judicio Nuntiaturæ: & probatur per Glossam *in cap. Prudentiam*, §. Sexta, *de offic. deleg.* & ibi Abbas num. 5. Felin. *in cap. Super literis*, num. 12. *de rescript.* Bellamer. *dec. 64.* probat Menoch. *de arbitr. cas. 102. n. 34.* & seqq. Aegid. *dec. 46.* Afflict. *dec. 98.* & n. 14. Lancellot. *de attentat.* 2. part. *cap. 4. in præf. numer. 6; 1. & seqq.* Nisi Papa non obstante tali introductione in Nuntiaturæ judicio, & cum litis pendentia ex certa scientia aliud declararet, & committendo causam decerneret, ex dictis, alias commissio alteri facta non transfert jurisdictionem, per textum *in cap. Causam, de offic. deleg. cap. Inter monasterium, de re judic.* & omnia sequuta illius commissionis virtute sunt nulla, ut in istis terminis similis commissionis tenet Rot. apud Marches. *de commiss. nullitatibus sanata, post §. 1. part. 3. tom. 3. pag. 20.* & rationem præstat Tapia *dec. 1. num. 8. & 15.*

28 Idem etiam dicendum est in appellatione interposita à tribus sententijs conformibus, à qua non potest impetrari commissio; & si impetratur, est nulla, tanquam super re judicata, & tribus conformibus, quia non potest impetrari commissio sicuti non potest interponi appellatio post tres conformes, Clement. 1. *de sent. & re judic.* & ibi *in collect.* Aug. Barb. & Nos diximus forens. resol. *cap. 15. n... & in comment. ad Ord. lib. 1. tit. 9 § 12. tom. 3. pag. 244. num. 653.* & ultra quos

ibi allegavimus, exornat novissimè Doc̄tissim. Pereira de Soufa *de revis. cap. 23. num. 1. & seqq.* Themud. 2. part. dec. 212. n. 8. & seqq. Fermosin. *ad cap. 64. de appell. quæst. 1. num. 1. & seqq.* & maximè num. 34. 35 & 37. Rot apud Otthobon. *dec. 63. & 129.* Rot. coram Paul. Rubeo *decis. 292.* Salgad. *de reg. protect.* 3. part. *cap. 16. & 17.* Gratian. *forens. cap. 42.* noviter Aloys. Mans. *conf. 4.* Andreol. *conir. 75. & 228.* Aug. Barb. *de claus. claus. 28.* (ubi quomodo intelligatur clausula *Constituto de tribus conformibus:*) eleganter & noviter Cæl. Bicch. *decis. Rot. 28.* qui etiam omnes agunt quando sententiæ dicantur tres conformes, & ad omnes quæstiones circa materiam sunt videnti: & Clemens Merlin. *dec. Rot. 414. n. 6.* ubi etiam quid si una sit nulla, & confirmata, an faciat numerum trium conformium, cum alijs, & Barb. *dict. claus. 28.* ait quod sententia nulla non facit numerum trium conformium.

Et meritò, quia cum non sit casus appellationis post tres conformes, non admittitur, nec conceditur commissio, quia est contra jus, nec etiam appellatio, nec rescriptum impediens illarum effectum, aut executionem, *l. fin. Cod. sent. rescind non poss.* ibi: *Impetrata rescripta non placet admitti, si decisæ semel causæ fuerint judiciali sententia, quam provocatio nulla suspendit.* Sed eos qui talia rescripta meruerint, etiam limine judiciorum repellit: *l. causas, Cod. de transact. l. fin. Cod. de err. Aduoc. l. Cum tibi, Cod. de judic. l. Terminato, Cod. de fruct. & litium expensis, exornat Valenz. conf. 68.*

Rescriptum enim contra rem judicatam, aut tres conformes, quatenus est impeditium executionis, & effectus eorum, contra jus est, & ab eo reprobatum, ut in rubro, & nigro Codicis *Ne liceat tert. provocare:* & propterea tanquam injustum, & incivile, nec concedi, nec admitti debet, *l. Rescripta, & auth. Quæ supplicatio, Cod. de precibus Imper. offend. l. probatorias, Cod. divers. offic. lib. 12. auth. Ut divinæ iussiones, cap. fin coll. 8.* textus est *in cap. Super literis, de rescript.* ubi August. Barb. Fermosin. & Prosper Fagn. Tepat. *lib. 1. var. tu. de execut. sent. col. 9.*

- col. 9. in princip. Ponte cons. 1. n. 72. Giurba dec. 7.
- 30 Quia rescriptum super tertia appellatione nec tenet, nec illud potest Princeps, seu Papa de ordinaria potestate concedere, ex textu in cap. *Tua nobis, de appellat.* Marches. in tract. de commiss. part. 1. cap. 3. n. 30. fol. 30. & part. 2. cap. 1. Amat. var. resol. 6 num. 4. & 5.
- 31 Nisi per speciale privilegium tertiam appellationem concedat Papa, aut Princeps de plenitudine potestatis. Amat. dict. resol. 6. n. 2. Mastril. de *Magistr.* lib. 3. cap. 4. num. 388 & 391. Scacc. de *appellat.* quæst. 17. limit. 1 num. 3. Mut. dec. 42. n. 19. cum alijs Amat. dict. resol. 6. n. 5.
- 32 Et ideo rescriptum Principis super re judicata, ex quo executionis sit impedimentum, non debet admitti, interdictum enim est Principi de ordinaria potestate non solum sententiam abolere, vel in totum, vel in partem, sed neque retardare ejus executionem potest concedendo commissionem, aut literas supercessoriales, vel moratorias; tales namque literæ sunt nullius momenti, ut ex Giurba dec. 7. Amat. resol. 6. n. 4. Cutel. de donat. particul. 6. n. 140. & 141. Fermo- sin. in cap. *Quoad consultationem, de re* judicat. diximus in comment. ad Ord. tom. 1. ad proœm. gloss. 54 §. 2. num. 22. & 23. pag. 89. & 2. tom. de regim. Senator. Pa- lat. §. 11. & ultra eos Rebuff. ad leg. reg. tit. de supplic. n. 41. Valasc. cons. 51. n. 29. Sola ad decret. Sabaud. tit. de appell. gloss. 15. n. 3. Amat. dict. resol. 6. n. 3. 6. 7. & 8. qui per plurima loquitur de rescriptis contra tres conformes.
- 34 Et solum potest adimpleri quando duo requisita interveniunt, nempe cer- ta Principis scientia rei judicata, & quod simul ipse plenitudine potestatis utatur, cum clausula. *Non obstante.* Alex. cons. 2 col. 5. vol. 1 Tepat. variar. resol. tit. de execut. sent. verb. *Senatus, Tusc. lit. R.* concl. 314. n. 13. Giurba dec. 7. n. 7 Amat. resol. 6. num. 3. & seqq. & num. 10. ubi ele- ganter.
- 35 Et in hoc casu debet Sanctissimo Do- mino Nostro fieri clara, specifica, & in- dividua relatio rei iudicata, & status ne- gotij, & trium conformium, alijs re-
- scriptum, seu commissio est subreptitia, quia rem judicatam per rescriptum Principem evertere velle non creditur: textus est expressus in cap. *Exposita, de arbitr.* ubi Gloss. & DD. Felin. in cap. *Su-* per literis, num. 14. de *rescript.* Menoch. de *arbitr.* lib. 2. cent. 2. cas. 102. num 45. & 46. Mart. de *claus.* claus. 174. in fine, part. 1. & declaratum fuit in Rota apud Marchesan. de *commis.* tom. 1. pag. 384. Oliver. Beltramin. in annot. ad *Ludovis.* dec. 2. n. 17. eo maximè si ipsa tertia ap- pellatio à tribus conformibus commissa fuisset jam introducta in alio Tribunali, putà Nuntij; de qua introductione nisi Papæ fiat expressa relatio, commissio super appellatione impetrata est subre- ptitia; & quare, inquit Gloss. in cap. *Pru-* dentiam, in §. *Sexta, de offic. deleg.* & ibi Abb. n. 5. Felin. in cap. *Super literis, v. 12.* de *rescript.* Fafol. dub. 64. ubi quod non valet commissio, si non est narratum li- tem fuisse introductam in partibus: & idem tenet Bellamer. decis. 64. latè Menoch. dict. cas. 102. n. 34. & seqq. Egid. dec. 46. ubi quod talis commissio est ipso jure nulla, nisi fiat ex certa scientia Pa- pa. Afflict. dec. 98. & dec. 220. n. 14.
- 36 Et talis commissio non transfert juris- dictionem, ut est textus in cap. *Causam, de offic. deleg.* cap. *Inter monasterium, de re ju-* dic. Vestrius in *prax.* Rom. Cur. lib. 3. cap. 9. num. 5. & 6.
- 37 Et non solum est nulla, sed omnia in- de sequuta coram novo judice sunt in- valida, ut in his terminis declaravit Sa- cra Rot. Roman. apud Marchesan. de *commis.* nullitat is sanatae, post §. 1. part. 3. tom. 3. pag. 20.
- 38 Et quando litigantium aliquis timet, quod ejus adversarius in his terminis, aut alijs recurret ad Pontificem, aut ad Legatum à latere, vel ad Nuntium, ut ei det aliquem judicem in casu non appel- lationis, tunc faciet ut evitet damnum, aut litem, ut ponatur in abbreviatura, *Nihil transeat*, ad effectum, ut de qua- cunque petitione ab adversa parte facta detur ponenti copia ad ostendendum non esse casum commissionis; & si iudex datus sibi aptus non sit, eum recuset, & cæteros illos quos habet suspectos solo
- jura-

juramento: quod faciet antequam consentiat in jurisdictione: & si post introductam causam velit eum, aut eos recusare, non poterit nisi ex causa. Et ad has diligentias mittitur mandatum procuratorum, cum testimonio litis, & infermatione decreti provisi; & hoc in recusatione, quia ad nihil transeat, sufficit mandatum: & si super eo nihil postea alleget qui ponit, & adversarius instet ut detur commissio petita, non denegatur ei, nisi forte ex malitia commodum reportet, qui ponit illud nihil transeat, aut recusationem, ut practicari vidisse testatur Fermosin. *in praxi Trib. super cap. fin. de lib. oblat. §. 8. q. 4. n. 35.* ubi quod nihil minus poterit commissionem adeptam reformare; & tunc si est in Nuntiatura, procedetur ut dixi in loco ibi relato, sive vero in Rota causa Romae mittitur, ut ibi cognitio retineatur, inhibito commissionis judice, aut iterum committitur in partibus.

39 Denique ex eodem Fermosin. *n. 36.* notab. quod quamvis Pontifex causam commississet, si judex excedat in commissione, ut si citaverit partes ultra die tas, aut aliter, poterit in hoc casu recurri ad Sanctitatis Nuntium, & in tantum procedit, quod etiamsi ille judex procedat in causa usque ad diffinitivam, poterit pars appellare ad Nuntium, qui tunc committit causam alteri judici, si constat de alterius judicis excessu; aut ipse super excessu cognoscit.

40 De praxi autem compulsoriæ, & remissione illius instantis, in quo decernitur usque ad finem litis, & ad quem effectum mittantur, & quomodo procedatur tam circa citationem, quam citationis recusationem, & testium interrogatio nem; & quando, & quomodo fieri debeant, ut validè procedatur, tradit eleganter idem Fermosin. *dict. q. 4. §. 9. n. 2.* & seqq. ubi nihil in praxi intactum relinquit: & ut non erretur, est omnino videndus, & *dict. q. 4. §. 2.* agit de processu in praxi in gradu appellationis, & quomodo in ipsa instantia procedatur usque ad sententiam, aut desertionem: & *§. 1.* agit de ordinando processu usque ad diffinitivam sententiam.

Quid autem dicendum sit in appella-⁴¹ tione interposita à Religioso, virtute cuius petit commissionem omisso me dio, an sit ei concedenda? Respondet Portel. *dub. reg. verb. appellare, n. 3.* Remig. Scofra *in opusculo de invalid. profess.* *dub. 25. & 26.* quod potest Religiosus omissa appellatione ad suum Provincialem, & ab hoc ad Generalem, & ab hoc ad Protectorem Cardinalem, & illicò ad Papam seu Nuntium appellare, ut refert Fermosin. *in cap. Ad nostram, de appell.* *q. 1. n. 2.* ubi testatur quod apud Hispanos saepe videt in praxi observari, cum saepius contingat Religiosos appellare ad Nuntium Apostolicum: & *n. 3.* refert contrariam sententiam, nempe quod gradatim à Guardiano ad Provincialem, deinde ad Generalem, & ab hoc ad Protectorem Cardinalem, postremò ad Papam, vel ejus Nuntium sunt appellatio. Spartarius *in praxi, tract. 10 part. 4. cap. 1. n. 3.* Peyrin. *de Religios. subdit. tom. 1. q. 1. cap. 20.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 54.* Joannes à sancta Maria *in Tribunal. Relig. tract. 5. cap. 10. n. 3.* itaque referunt ex sacra Congreg. Cardinalium, & ex decreto Clem. VIII. *de appell.* & ibi explicat idem Fermosin. & *quest. 2.* agit an aliquæ Religiones habeant privilegia, ut nullo modo à correctione liceat subditis appellare: & qualiter hæc privilegia obligent, & an possit Prælatus corrigere subditos absque consilio sui Capituli, & propter hoc admittatur appellatio: & ibi tractat de Religiosis Dominicanis, Franciscanis, Augustinianis, Carmelitanis: & *quest. 3.* an Prælati possint compellere subditos ad observantiam Religionis, & Constitutionis, & post professionem eos compellere ad strictiorem vitam agendam, & de correctione: & an possint ab hoc appellare, & petere commissionem: & *quest. 4.* tractat, an Religiosi possint appellare, seu recurrere ad superiores sine Prælatorum suorum licentia.

Hinc venit reprobanda doctrina Ko-⁴² chier *de jurisd. ord. in exemptos tom. 1. part. 1. cap. 39. n. 28.* ubi inquirit, an Nun tius & Legatus à latere, qui in sua commissione habet clausulam cognoscendi de

de causis appellationum interpositarum à Judicibus à Sede Apostolica delegatis, possit cognoscere, & committere appellationes à Conservatoribus Exemptorum interpositas? Et arguit an Conservator sit delegatus, an magis sit Ordinarius, ut Legatus non possit cognoscere de hujusmodi appellationibus ab eo interpositis, quia contrarium est verius. Sed hæc argumentatio in eundem retorquetur: etenim Legatorum, & Nuntiorum facultas principaliter data est ad cognoscendum de appellationibus ab Ordinarijs emissis, & ad majorem autoritatem additur prædicta clausula Delegatorum Sedis Apostolicæ: ergo si fuerit Conservator simpliciter delegatus, fateatur ipse posse cognoscere Nuntium; multò magis quando est Conservator ordinarius, cùm principaliter ad eorum appellationes Nuntius missus sit.

C A P U T LXXV.

Utrum si aliquid intentetur fieri ab Archiepiscopo, aut Episcopo, & pars gravata interponat appellationem, aut Religiosus exemptus recurrat ad Nuntium cum potestate Legati à latere, fiatque itineris arreptio, aut nuntij missio post intimatam suspensionem Prælato, aut compulsoriā Archiepiscopo, aut Episcopo decretam, sit nullum & attentatum quidquid factum postea fuerit?

Hanc quæstionem resoluti affirmativè Scacc. de appell. q. 6. n. 41. & seqq. Lancellot. de attent. part. 2. cap. 12. ampl. 6. n. 1. quos refert & sequitur Aug. Barb. vot. 47. num. 122. & seqq. & n. 123. ubi expressè loquitur in missione, aut Nuntij mandato.

¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:

C A P U T LXXVI.

Utrum si formetur competētia inter Nuntium Apostolicum cum Archiepiscopo, aut Episcopo super alicujus causæ clericī remissione, aut sine illa, possit Ordinarius Archiepiscopus aut Episcopus causam in prima instantia remittere ad Nuntium, ut de illa cognoscat?

Hanc quæstionem disputat latè & eleganter, pro una, & altera parte Aug. Barb. vot. 24. per tot. lib. 2.

¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:¶:

C A P U T LXXVII.

Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere, aut Legatus à latere possit se intromittere in causa Archiepiscopo, aut Episcopo, aut alteri specialiter delegata per Papam; & quomodo, & quando?

SUMMARIUM.

- 1 *Nuntius cum potestate Legati à latere, aut etiam Legatus à latere non possunt se ingerere in causam per Papam Archiepiscopo, Episcopōve, aut alteri delegatam, nec illius processum aut sententiam & executionem impedire, au infirmare.*
- 2 *Ampliatur multis modis.*
- 3 *Limitatur multis modis: & num. 4.*

Nuntius cum potestate Legati à latere, aut etiam Legatus de latere, non possunt se ingerere in causa per Papam Archiepiscopo, Episcopōve, aut alteri delegata, nec illius processum, aut sen-

sententiam vel executionem impedire,
aut infirmare , ut est textus expressus in
cap. Studiisti , de offic. Legati , ubi Butr.
in tertio notabili, Ancharan. n.3 & Abbas
num. Aug. Barb. in collectan. ad dict. text.
cum alijs Prosper Fagn. in dict. text. n. 1.
2. & 3. ubi plures rationes affert ; &
etiam August. Barbos. in collect. ad dict.
text. Reinos. observ 60 num. 18. vers. hæc.
August. Barbos. de jur. eccles. lib. 1. cap. 5.
num. 81.

2 Quod procedit, & locum habet etiam si talis delegatus nondum cœperit in causa procedere, ut probat idem textus ibi, *ante cognitionem*, idest antequam incipiat cognoscere delegatus, prout testatur idem Fagnan. *num. 4.* ubi etiam extendit, ut non possit Legatus de latere à sententia talis delegati appellacionem admittere, ut probat ex verbis textus ibi, *quomodo libet irritare*: & *n. 5.* extendit, ut nec possit Legatus restituere adversus sententiam talis judicis delegati: & *num. 6.* extendit etiam ut locum habeat etiamsi agatur de delegatione, non ad unam causam tantum, sed ad universitatem causarum; & ibi eleganter exornat: & *n. 8.* & *num. 9.* extendit etiamsi talis delegatus suâ facultate abuteretur: & *num. 11.* extendit etiam ut locum habeat etiamsi delegatus fuerit negligens in procedendo, quia nihilominus Legatus non potest cum compellere; & ibi multos DD. refert Reinos. *dicit.* *obseru.* 60.

3 Sed hæc resolutio habet plures limitationes secundum eundem Fagn. n. 12. ubi limitat primò, ut non procedat si delegati jurisdictione per legati citationem fuerit præventa, quia tunc Legatus poterit in causa illa procedere, nec proderunt tali Archiepiscopo, Episcopove, aut alij delegato litteræ specialis commissionis : & ibi multos DD. refert : & num. 13. limitat secundò, ut procedat dummodo opponatur exceptio declinatoria fori ; alias enim parte non opponente teneret processus legati in causa alteri specialiter delegata, dummodo opponatur ante litis contestationem, quia postea non prodest, ex cap. *Pastoralis*, de exceptionibus ; quod etiam probat

nostra Ord. lib. 3. tit. 20. § 9. & tit. 49. §. 2.
Reinof. dict. obseruat. 60.

Tertiò etiam limitatur secundùm 4
Fagnan. *suprà*, n. 14. ut non procedat si
Archiepiscopus, Episcopusve, aut alias
delegatus processerit contra formam
mandati Apostolici , quia tunc Legatus
potest de hujusmodi nullitate cognoscere, & delegati processum, & sententiam
irritare, ut probatur ex textu *in cap. Studiisti, de offic. Legati*, à contrario sensu,
in illis verbis , *si secundum formam mandati nostri sententia fuit promulgata* : &
ibi multos refert, & n. 15. & 16. ubi n. 17.
quartò limitat , ut locum non habeat si
delegatus delinquat in sua commissione:
& n. 19 *vers. 5.* limitat etiam ut non pro-
cedat respectu confirmationis : & n. 20.
limitat sextò, ut non procedat respectu
executionis sententiæ; quia potest Lega-
tus sententiam delegati executioni de-
mandare si velit , ut probant verba dicti
textus *in cap. Studiisti, de offic. Legati*, ibi
Confirmare valebit, & executionem manda-
re: & n. 21. idem tenet : & n. 22. limitat
septimò, & asserit procedere in terminis
in quibus loquitur textus , videlicet in
delegato Papæ. Secus ergo est si delega-
tio facta sit à prædecessore ipsius Legati,
quia tunc successor potest cogere dele-
gatum ad sententiam ferendam , aut
etiam commissione revocare, seu pro-
hibere , ne pronuntiet , & malum pro-
cessum illius corrigere, ut *in cap. 3 §. fin.*
in fine, de eo qui mittitur in possessionem.
Reynol. *dict. observ. 60.*

C A P U T LXXVIII.

Utrum decretum , aut gratia Legati à latere , aut Nuntij cum ejus potestate , obliget Archiepiscopum , aut Episcopum illius ignorantem ad observantiam , & antequam eis ostendatur.

SUMMARIUM.

- 1 Decretum aut gratia obligat etiam igno-
rantes; sed contrarium est verius.
 - 2 Gratia aut decretum debet ostendi Ar-
chiepiscopo , aut Episcopo in scriptis
antequam exequatur in sua diœcesi;
Et quare.

ⁱ **L** Icet secundum Lap. *alleg.* 14. *n.* 3.
tale decretum , aut gratia liget
etiam ignorantes ; attamen contrarium
est verius , & in hoc reprobatur per
Cassador. *dec.* 3. *in reservatis*, Aug. Barb.
de potest. Episcopi lib. 1. *cap.* 5. *n.* 73.

2 Et ideo debet ostendi Archiepiscopo,
aut Episcopo in scriptis antequam exe-
quatur in sua diœcesi , quia nemo potest
in diœcesi aliena ut jurisdictione, aut ali-
qua exercere , l. *Prohibitum*, ubi Bart.&
DD. *Cod.de jure fisc.lib. 10 Auth.de collat.*
§. *F.os autem*, ibi : *Eos autem*, qui in pro-
vincijs pro quibusunque actionibus diri-
guntur, non aliter inchoare exactionem, nisi
prius provinciali judicio insinuaverint, im-
positas sibi de hoc jussiones. *Mafcard. de*
probat. c. inclusus 949 n. 2. 3. & 4. Bobadill.
in sua politic. lib. 2. cap. 20. n 21. videndus
lib. 3. cap. 2. n. 3. de quo videndus Parexa
de instrumentor. edit. 1. part. tit. 2. resolut 5.
optimè exornat Fermosin. prax. Tribu-
nal. super cap. fin. de libelli oblatione, §. 22.
quæst. 4. per tot.

C A P U T LXXXIX.

Utrum Nuntius Apostolicus cum
potestate Legati à latere possit
aliquid decernere in præjudi-
cium Archiepiscopi, aut Epis-
copi jurisdictionis, extra appel-
lationis viam, consentientibus
Partibus, & contradicente Or-
dinario, & vice versa?

SUMMARIUM.

- 1 *Consensus partium præstat facultatem
judicandi, & decidendi; & jurisdi-
ctionem tribuit Judici ad cognoscen-
dum.*
 - 2 *Materia in prima instantia pertinet ad
Ordinarium Archiepiscopum, & nul-
lo modo potest à partibus in ejus præ-
judicium renunciari, nec consensus
præstari, ut Nuntius Apostolicus
etiam cum potestate Legati à latere
decernat extra appellationis viam, ni-
si ipse Archiepiscopus consentiat.*
 - 3 *Neque etiam sufficit consensus Episcopi
quando partes contradicunt.*

Licet consensus partium præstet fa-
cilitatem judicandi, & decidendi,
& jurisdictionem tribuat Judici ad cog-
noscendum, ut probat Ord. lib. 3. tit. 20.
§. 9. & tit. 49 §. 2.

Attamen in hoc casu non sufficit par- 2
tium consensus , quia cum materia in
prima instantia pertineat ad ordinarium
Archiepiscopum , nullo modo à parti-
bus potest in ejus præjudicium renun-
ciari , nec consensus præstari , ut Nun-
tius Apostolicus etiam cum potestate
Legati à latere decernat extra appella-
tionis viam , nisi ipse Archiepiscopus
consentiat , ex Posth. *de manut obseru.*
107. n.2. Ciarlin. f renf. tom. 2 cap. 125.
num. 15. Barb. ad Concil. diet. cap. 20. n. 2.
sess 24.

Necque etiam sufficit consensus Epif-3
copi, quando partes contradicunt. Barb.
vol. 24. num. 26.

C A P U T LXXX.

**Utrum Nuntius cum potestate
Legati à latere possit ad se avo-
care causam pendentem apud
Archiepiscopum , aut Episco-
pum in prima instantia , & de
ea cognoscere extra appellatio-**

nis viam , contradicente Ordinario ? Et quid in Auditore Cameræ .

SUMMARIUM.

- 1 Nulli Superiores, etiam Nuntij, vel Legati de latere de causis quibuslibet ad forum ecclesiasticum pertinentibus possunt in prima instantia causas pendentes ad se avocare , nec de illis cognoscere aut aliquid decernere, nisi per viam Legitimæ appellationis ad sua Tribunalia fuerint delatae.
- 2 Idem in Archiepiscopo respectu suffraganei Episcopi.
- 3 Limitatur in Auditoribus Cameræ , in illis negotijs, in quibus adest obligatio formæ Cameralis.
- 4 Advocatoriam commissionem impetrantii in prima instantia jus resistit.
- 5 Per advocationem nullam non tollitur jurisdicō Ordinarij , nec impeditur commissio ad ipsum.

Ne gative resolvenda est quæstio proposita; nulli enim Superiores, etiam Nuntij, vel Legati de latere , de causis quibuslibet ad forum ecclesiasticum pertinentibus possunt in prima instantia causas pendentes ad se avocare, nec de illis cognoscere , aut aliquid decernere, nisi per viam legitimæ appellationis ad sua Tribunalia fuerint delatae, ut ex S. Concil. Trid. refert decisum Ricc. dec. Cur. Archiepiscop. dec. 296. num. 5. part. 4. Barb. de potest. Episcop. alleg. 81. sub num 2. Narbon. in l. 59. gloss. 1. num. 23. Ciarlin. forens. tom. 2. cap. 125. n. 23. & ita resolutum est per decretum Sacrae Congreg. apud eundem Ciarlin. n. 100. verj. Ad tollendas , & cap. 148. num. 35. & seqq.


2 Et idem dicendum est in Archiepiscopo Metropolitano respectu suffraganei Episcopi : ille enim non potest avocare causas ab Episcopo suffraganeo suo , nisi ex causa appellationis tantum, servata formā Concilij ; solū namque habet limitatam jurisdictionem ad causas appellationis in secunda instantia, &

non ad avocationem in prima. Covar. pract. lib. 1. cap 9. n. 2. Barb. de potest. Episcop. part. 1. tit. 4. num. 61. Ciarlin. dict. cap. 125. num. 22. & n. 100. ubi refert decretum Sacrae Congreg.

Quod tamen limitandum est in Auditori Cameræ in illis negotijs, in quibus adest obligatio formæ Cameralis , quoniam causas obligatione Camerali secundum formam Cameræ Apostolicæ firmatas in partibus existentes Auditor Cameræ ad se avocare potest , etiam si extra Curiam contractus sit celebratus, & licet pendeat coram Ordinarijs, quia est executor omnium obligationum Cameralium , prout testatur cum multis Ciarlin. forens. tom. 2. cap. 125. n. 93.

Et non in alijs , quia avocatoriam commissionem impetranti in prima instantia jus resistit, ut disponit S. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 20. & ibi Aug. Barb. in collect.

Et ideo per tales avocationes nullam non tollitur jurisdicō Ordinarij , nec impeditur commissio ad ipsum , ut tenent supracitati. Mendo de jur. academic. lib. 1. num. 778. ubi an possit Nuntius Apostolicus avocare causas Scholariorum.



C A P U T LXXXI.

Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere , aut Legatus à latere possit concedere Monitoria in sua provincia , in casibus ad suam jurisdictionem pertinentibus , etiam contradicente Archiepiscopo , aut Episcopo? Et quem effectum producant monitoria per citati comparisonem.

SUMMARIUM.

- 1 Nuntius cum potestate Legati à latere , aut Legatus à latere etiam, contradicente Archiepiscopo , aut Episcopo possunt

possunt in provincia sibi decreta ad suæ potestatis exercitum monitoria concedere.

2 Concesso monitorio si pars citata compareat, in simplicem citationem resolvitur.

3 Et si citatus non compareat, præceptum, aut monitorium supplicationem justificat, & absque alia probatione profertur sententia, & per eam notificatio judicatur, & juxta supplicationis tenorem proceditur.

Nuntius cum potestate Legati à latere, aut Legatus à latere etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo possunt in provincia sibi decreta ad suæ potestatis exercitum monitoria concedere. Lazar. *de monitorijs lib. 2. q. 5.* Guttier. *canonicar. cap. 11. n. 5.* Ugolin. *de offic. & potest. Episcopi cap. 45. in princip. vers. Excipiuntur.* Ricc. *in prax. rerum fori Ecclesiæ, resolut. 235. num. 2. August.* Barb. *de potest Episcopi 3. part. alleg. 96. n. 11. & de jure Ecclesiastic. lib. 1. cap. 2. n. 73.* & pro rebus deperditis. Fragos. *de reg. Reip. 2. part. lib. 4 disp. 10. n. 167.*

2 Et concesso monitorio, si pars citata compareat, in simplicem citationem resolvitur, & proceditur ordinariè; quia semper tale monitorium resolvitur in vim nudæ citationis per comparitionem, ut ex Bald. Ancharano, Muta, Bolognet. Gail. Parlador. Rebuf. Cavalcan. Guttier. tradit Amat. *variar. resolut. 72. num. 20.* & ultra eos Valenz. *conf. 6. n. 53. & 54. Leitam in praxi fin regundor. cap. 3. n. 25. & 26. Cancer. 3 part. var. cap. 13. num. 176.* Oliva *de foro Eccles. 1. part. q. 16. num. 48.*

3 Et si non compareat citatus, aut nuntius, præceptum aut monitorium supplicationem justificat, & absque alia probatione profertur sententia, & per eam notificatio judicatur, & juxta supplicationis tenorem proceditur; & ita judicatur quotidie, quia notificationis comminatio debet observari, & facit jus, ad notata *in l. consentanea 8. Cod. quomodo & quando jus. Sousa de Maced. dec. 88. num. fin.*

C A P U T LXXXII.

Vtrum Nuntius cum potestate Legati à latere, aut suus Reverendus Auditor in competencia cum Archiepiscopo, aut Episcopo teneatur observare ferias in loco ubi est observatas, an verò secundùm Curiæ Romanæ stylum.

S U M M A R I U M.

- 1 Judices ordinarij, aut delegati non possunt diebus feriatis cognoscere.
- 2 Judices in feriis observandis tenentur attendere locum judicij.
- 3 Nuntius Apostolicus ad aliquem destinatus Principem observat in audiencia dies feriatos, qui in Curia ubi est, solent observari.
- 4 Illustrissimus Nuntius hujus Regni potest observare ferias secundum arbitrium suum, aut juxta stylum feriarum Sacrae Romanæ Curiæ.

LIcet Judices ordinarij, aut delegati non possint diebus feriatis cognoscere, ex toto titulo *de ferijs*, ubi latè Fermosin. *in cap. 1 & fin. q. 1. & seqq. & maximè quæst. 7.*

Et isti tales in ferijs observandis tenentur attendere locum judicij, quia ubi agitur de ejus ordinatione, attenditur consuetudo fori seu loci in quo exercetur, secundum textum *in cap. Quod Clerici, defor. comp.* ubi Fermosin. atque ita aliàs pronuntiatum esse à Romano Pontifice dicit Abbas ibi *num. 33. Azor. inst. moral. tom. 2. lib. 1. cap. 27. dub. 17.*

Et Nuntius Apostolicus ad aliquem destinatus Principem observet in audiencia dies feriatos, qui in Curia ubi est, solent observari, ut de Nuntio Hispaniae testatur Fermosin. *in cap. 1. & fin. de ferijs, quæst. 6. num. 11.*

4 Attamen Illusterrimus Nuntius hujus Regni potest observare ferias secundum arbitrium suum, aut juxta stylum feriarum Sacræ Romanæ Curiæ, ut tenet Trevisan. *dec. Venet. 31. p. 1.* quem sequitur. Riccius *collect. 124. in fin.* relatus à Fermo in. *d. n. 11.* ubi etiam quod ipse Illusterrimus Nuntius cum familia sua tenetur observare dies festos secundum stylum Romanæ Curiæ.

••••• ••••• ? ••••• ••••• ? ••••• ••••• ? ••••• ••••• ?

C A P U T LXXXIII.

Utrum Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possit committere causam cognoscendam summarie, & sine strepitu & figura judicij, & non obstante ordine judiciario, etiam quando est pars Archiepiscopus, Episcopusve, aut privatus; & eis contradicentibus.

S U M M A R I U M.

- 1** *Summa est potestas Legati à latere circa causarum commissionem.*
- 2** *Legatus à latere non potest tollere jura communia, nec ordinem judicarium.*
- 3** *Legatus à latere non potest committere causam sine strepitu & figura judicij in casibus, in quibus de jure communni non potest sic procedi.*
- 4** *Legatus à latere non potest committere causam conoscendam summarie.*

Licet Legati à latere summa sit potestas circa causarum commissionem, prout testantur Gambar. Machad. Azor. quos refert August. Barbos. *de iure eccles lib. 1. cap. 5. num. 75.* & ultra eos Menoch. *conf. 442. num. 68. & conf. 477. num. 10.*

2 Attamen non potest tollere jura communia, ex Menoch. *conf. 477. num. 11.* nec ordinem judicarium, ut prosequitur idem Menoch. *num. 12.*

3 Sic etiam non potest committere cau-

sam sine strepitu & figura judicij in casibus, in quibus de jure communni non potest sic procedi, ut post Jason. tradit Gratian. *forens. cap. 300. num. 51.* Valenz. *conf. 43. num. 81.*

Nec etiam Legatus à latere potest comittere causam cognoscendam summarie, ut voluit Gloss. singularis *in cap. ultimo, verb. Figura, de hereticis lib. 6.* Reinof. *observ. 60 num 21.* ubi limitat quando est evidens, aut necessaria causa: de quo vide Valenz. *ubi supra,* qui loquitur etiam in Prælato.

••••• ••••• ? ••••• ••••• ? ••••• ••••• ? ••••• ••••• ?

C A P U T LXXXIV.

Utrum Nuntius cum potestate Legati à latere, aut Cardinalis Legatus à latere, possit esse judex competens Clericorum, contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo concurrentibus, cum Ordinario.

S U M M A R I U M.

- 1** *Nuntius cum potestate Legati à latere non potest esse judex Clericorum absque consensu Ordinarij, Archiepiscopi, aut Episcopi in prima instantia.*
- 2** *Et quid in Cardinali Legato à latere.*

Quemvis Nuntius cum potestate Legati à latere non possit esse judex Clericorum absque consensu Ordinarij, Archiepiscopi, aut Episcopi in prima instantia, *cap. Significasti, de foro compet. & ibi Barb. Carleval. de judic. disp. 2. num. 1075. de Luca theatr. verit. & just. tit. de jurisdict. tom. 3. discurs. 5 l. n. 7.*

Attamen Cardinalis Legatus à latere in sua provincia dicitur judex competens omnium Clericorum, habens cum eis tam habitualem, quam actualem jurisdictionem, sicuti Ordinarius, cum quo concurrunt etiam contradicendo, coque maiorem habet jurisdictionem, & prærogativam. Hostiens. & cæteri *in cap. I.*

cap. i. de offic. Legat. Gundisal. de Legat.
quaest. 8. n. 3. Boer. de potest. Legat. in prin-
cip. n. 20. & sic explicat Consil. de Luca
dict. discurs. 51. num. 9. & per tot. & ibi
respondeat ad contraria.

quia sunt partes hujus Regni , & accessiones illius , & comprehenduntur tanquam adjacentia in potestate , juxta ea quæ diximus in *commentar. ad Ord. tom.* 1. lib. 1. tit. 1. gloss 2. num. 9.

C A P U T LXXXV.

Vtrum Legatus à latere , aut Nun-
tius cum ejus potestate , Lega-
tus duarum Provinciarum pro-
pter connexitatem territorio-
rum , ac Regnum , possit ex-
pedire negotia unius Provin-
ciæ , aut Regni in alia , aut alio ,
etiam contradicente Archiep-
copo , aut Episcopo Ordinario ?
Et an sua potestas extendatur ad
Indias Orientales , & ad alia
Regni adiacentia .

SUMMARIUM.

- 1 *Nuntij Apostolici in Hispaniae Regno residentes non exerceant jurisdictionem in Indiarum partibus.*
 - 2 *Contrarium in Regno Portugalliae observatur.*
 - 3 *Legatus duarum Provinciarum, ac Regnum sub eodem Regis dominio propter connexitatem territoriorum, ac Regnum potest expedire negotia unius Provinciae, ac Regni in alio: & quare num.4.*
 - 1 *L* Icet Nuntij Apostolici in Hispaniae Regno, residentes non exerceant jurisdictionem in Indiarum partibus, ex quadam sched. de qua Solorzan. *de jure Indiar. tom 2 lib. 3. cap. 23. num. 43*
 - 2 Attamen in hoc Regno contrarium dicendum est, quia Illustrissimus Nuntius potest exercere suam potestatem in hac Curia; extenditur enim ad Indias Orientales, & ad omnes Provincias, oppida, & Regna Algarabiorum, Asiam, Africam, Brasiliam, & ad Regnum Angolensem, & etiam ad omnes insulas,

Et ideo talis Legatus duarum Provin- 3
ciarum, ac Regnum sub eodem Regis
dominio propter connexitatem territo-
riorum ac Regnum poterit expedire
negotia unius Provinciae ac Regni in
alio, cap. Novit, de offic. Legati, Capyc.
dec. 152 num. 8. & 9. Gambar. de offic. Le-
gati extra Provinciam, num. 2. & 3. Azor
inst. moral. part. 2. lib. 5. cap. 27. q. 4. vers.
Quæres, August. Barbos. de jur. Eccles.
lib. 1. cap. 5. n. 76. optimè Gratian. forens.
cap. 655. ubi etiam quod potest assistere
ubi voluerit.

Et meritò, quia illæ duæ Provinciæ, ac
Regna, in quibus constituitur unus Le-
gatus, quoad ipsum censentur una pro-
vincia, licet alijs sint distinctæ quoad li-
mites, & prærogativas, ut ex Innocentio
& alijs tradit idem Barbos. *ubisuprà*, &
de potestat. *Episcopi* 3. *part.* *alleg.* 45.
num. 131.

C A P U T LXXXVI.

**Utrum Nun*tius* cum potestate
Legati à latere, aut Legatus à
latere possit eximere subditum
Archiepiscopi à sua jurisdic*tio*-
ne , contradicente Archiepil-
copo.**

SUMMARIUM.

- 1 *Archiepiscopus non potest eximere quemquam subditum à jurisdictione sui suffraganei; quia hoc est reservatum Pa-pæ: & si exemptionem concedat , non valet.*
 - 2 *Idem procedit in Nuntio , aut Legato à latere.*

Sicut Archiepiscopus non potest eximere quemquam subditum à jurisdictione.

dictione sui suffraganei , quia hoc est re-
servatum Papæ , & si exemptionem con-
cedat, non valet, *cap. Duo simul*, *de offic.*
Leg. cap Nullus, de jurepatron. Kochier.
de jurisdict. Ord. in exempt. part 1. quæst.
3. n. 10. vers. Distinguendum, Ciarlin. fo-
renſ. tom. 2. cap 125. n. 76.

- 2 Ita etiam Nuntius, aut Legatus à late-
re non potest eandem exemptionem
subditis Ordinariorum concedere, cap.
Quoad translationem, de offic. Leg. Boer.
de potest. Leg. n. 44. Villadieg. part. 1. de
Leg. quæst. 9. num. 64. Barbos. de jur. Ec-
cles. cap. 5. num. 80. Ciarlin. dict. cap. 125.
num. 77. Kochier dict. q. 3. n. 13. ubi præ-
stat rationem, quam approbat Ciarlin.
eodem loco. ubi quod probatur ex S. Con-
cil. Trid. sess. 24. cap. 11. & cap. 20. de re-
form.

CAPUT LXXXVII.

Vtrum Legatus à latere , seu Nun-
tius cum ejus potestate , sicut
de causis Exemptorum potest
cognoscere , etiam contradic-
cente Archiepiscopo , aut Epis-
copo possit eos eximere .

SUMMARIUM.

- 1 Legatus à latere, aut Nuntius cum ejus potestate possunt, sicut Papa, de causis Exemptorum cognoscere etiam contradicente Archiepiscopo, aut Episcopo.
 - 2 Limitatur in Legatione.
 - 3 Legatus non potest eximere.

I **L**icet Legatus à latere , aut Nuntius cum ejus potestate possint sicut Papa de causis Exemptorum cognoscere, etiam contradicente Archiepiscopo aut Episcopo, ut latè diximus suprà cap 49. num. I. ubi multos allegavimus , & ultra ços Bobadill. *in sua politica, lib. I. cap. 17.* & 18. August. Barbos. vot. 4. num 123. Kochier *de jurisdictione ordinaria in exemptis*

*tos tom. 1. part. 2. quæst 2. & quæst. 32 n. 5.
& 4. part. quæst 3. n. 1. Fermosin. in cap.
Quia propter 42. de electione, quæst. 4 n. 4.
& seqq. idem Barb. in cap. Quoad transla-
tionem, de offic. Legat. num. 10.*

Nisi sit Legatus natus , quia ille non
potest hujusmodi in exemptos Regula-
res jurisdictionem exercere , Kochier
dict. 2. part. q. 2. & q. 50. num. 6. & part 4.
quæst. 26. n. 2. Diana resolut. moral. 1. part.
tract. 2. resolut. 16. August. Barbos. de jure
Eccles. lib. 1. cap. 5. num. 79.

Attamen non potest eos eximere, cum nihil facere valeat quod tendat in violationem juris communis. At eximere adversatur juri, plurimumque præjudicat Ecclesiæ, ut cum Juribus, & DD. ita tenet Kochier *de jurisdict. ordinaria in exemptos part. I. q. 3. n. 13.* quem refert, & sequitur Barb. *dict cap. 5. num. 80* optimè August. Barbos. *in cap. Quoad translationem, de offic. Legat. num. 10.*

C A P U T LXXXVIII.

Vtrum si Nuntius , aut Collector
sint delegati, & delinquent , aut
eorum Auditor in exigendis im-
moderatis sportulis, possint pu-
niri ab Archiepiscopo, aut Epis-
copo Ordinario-

SUMMARIUM.

- 1 *Judices delegati possunt exigere fortunas.*
 - 2 *Si delegatus deliquerit in exigendis spor tulis immoderatis, potest puniri ab Ordinario.*

Licet permisum sit Judicibus dele-
gatis exigere sportulas , ut tenet
Prosper Fagnan. *in cap. Dilectus, de offic.*
Ordinar. num. 7. pag. 475. Themud. *in*
præf. 3. part.

Attamen quando delegatus delinquit in exigendis immoderatis sportulis potest puniri ab Archiepiscopo, aut Episcopo

Pars II. Caput

copo Ordinario , ut est casus in §. *Volu-*
mus, & ibi Angel. in *Authentic.* ut *Judi-*
ces sine quoquo suffragio , prout teitatur
idem Fagnan. in cap. studiisti, de offic. *Le-*
gati, num. 19.

¶ 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.

C A P U T LXXXIX.

Vtrum si Summus Pontifex con-
cedat statutum Archiepiscopo,
aut Episcopo , possit derogari
aut interpretari à Nuntio cum
potestate Legati à latere, aut ab
ipso Legato, contradicente Ar-
chiepiscopo, aut Episcopo ; &
etiam novum statutum conde-
re , ita ut observetur ab Archie-
episcopo aut Episcopo post lega-
tione finitam.

S U M M A R I U M .

I Utrum Nuntius possit derogare aut in-
terpretari statutum concessum , &
confirmatum à Summo Pontifice : &
num. 2. 3. & 4.

L Icet Nuntius cum potestate Legati
à latere, aut etiam Legatus à latere
repræsentent Summum Pontificem Do-
minum nostrum, & habeant omnes præ-
rogativas , & potestates , de quibus nos
suprà cap. 32. num. 1. & seqq attamen si
Summus Pontifex confirmet statutum
editum ab Archiepiscopo aut Episcopo,
tale statutum ex vi confirmationis est
effectum Papale , & non potest derogari
à Nuntio cum potestate Legati à latere,
nec ab ipso Legato in Archiepiscopi aut
Episcopi præjudicium , & eo contradic-
cente, qui non tenentur si derogatio fiat,
eam observare. Roman. conf. 37. num. 2.
vers. Secundo quia , Ruin. conf. 166 n. 3.
vers. Quia Legatus de latere , lib. 4 Hon-
ded. conf. 93. numer. 70. lib. 2. Rot. Ro-
mana apud Cæl. Bicch. dec 381. num. 27.
28. & 29. & in terminis ejusdem Nun-

LXXXIX.

191

tij Otthobon. dec. 202. numer. 8.

Neque etiam per viam interpretatio-
nis, aut limitationis, etiam si reducat rem
ad terminos juris communis , ut ex Fe-
lin. in c. quæ in Ecclesiarum , vers. Quia,
de constitutionibus. Villad. de Legat. q. 10.
sub n. 13. vers. Sive, explicat idem Bicch.
dec. 381. n. 30. 33. & 34.

Quia nec de jure, nec de consuetudi-
ne pertinet ad officium Legati contra
statuta specialiter confirmata à Papa,
coque minus contra leges Papales per-
petuò fancire. Pacian. conf. 80 num. 42.
Gambar. de potest. Legati lib. 8. tit. 2. sub
n. 24. vers. Sexto quæro.

Et ideo constitutiones editæ à Legato
de latere vigore facultatum, finitâ lega-
tione exspirant ; licet secus sit in consti-
tutionibus editis per viam legis genera-
lis vigore facultatum de jure communi
competentium , statuto aut legi Papali
non adversantibus , de quibus loquitur
textus in c. fin. de offic. Legati, Barbos. de
jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 5. n. 84. Seraphin.
dec. 536. n. 4. Rota apud Bicch. dict. decis.
381. n. 31. idem Barbos. in d. cap. fin. ex-
pli-
citat, & ampliat.

¶ 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.

C A P U T X C .

Vtrum si Nuntius Apostolicus in-
terdictum promulget , possit
Archiepiscopus , aut Episco-
pus aliqua administrare , &
quomodo.

S U M M A R I U M .

I Utrum si Nuntius Apostolicus interdi-
ctum promulget , possit Archiepisco-
pus, aut Episcopus aliqua administra-
re: & n. seqq.

L Icet tempore interdicti prohibe-
tur administratio , ut diximus cap.
47. num. 8. & seqq.

Attamen tempore interdicti potest
Archiepiscopus , aut Episcopus admini-
strare parvulis Baptismum , cap. Quo-
niam,

niam, de sent. excom. lib. 6. Sayr. de cens. lib.
5. cap. 7. num. 3. Soar. tom. 3. disp. 26. sect. I.
Henriq. in sum. lib. 2 cap. 16 §. 3.

3 Et fons baptismalis potest benedici,
ut prosequitur Corona de potest. Episc.
tract. 2. cap. 10. num. 10.

4 Sic etiam Sacramentum Confirmationis potest licitè ab Episcopo publicè, & solenniter, & apertis januis conferri tempore interdicti generalis loci, & in Ecclesia specialiter interdicta, *ex cap. Quoniam*, Navarr. *in man. cap. 27. n. 178.* Sayr. *de cens lib. 5. cap. 7. num. 6.* Covar. *in cap. Alma mater, part. 2. §. 2 num. 7.* Avila *de cens. disp. 4 sect. 1. dub. 4.* Alter. *de cens. tom. 2. disp. 4 cap. 2.* Henriquez *cap. 6 §. 7. lib. 3. & cap. 45. §. 1.* Suarez *tom. 3. disp. 26. sect. 1. num. 7.*

5 Chrisma autem tempore interdicti
potest januis clausis conficere, sed non
apertis, ita in cap Alma mater, vers. Ad-
jicimus, de sentent. excom. lib 6. Coron. dict.
cap. 10. num 10. Alter. ubi supra, Bonacini
de cens diff. 5. punct. 2. § 1. n. 2. Suar. proxi-
mè, sect. 1. n. 8.

C A P U T X C I .

Vtrum relaxatio juramenti ad effe~~c~~tum agendi pertineat ad Archiepiscopum, aut Episcopum; an verò ad Nuntium cum potestate Legati à latere.

SUMMARIUM.

- 1 Relaxatio juramenti quando habeat locum.
 - 2 Facultas relaxandi juramentum ad quem pertineat: & num. 3.

R Elicita quæstione relaxationis juramenti, & quando habeat locum, vel non, & ex quibus causis, de qua agunt cum multis DD. de quibus Nos in tom. I. in comment. ad Ord. lib. I. tit. I. §. 6. gloss. 55. pag. 225. n. 21. & seqq. Fermosin. in cap. Novit. 13. de judic. quæst 9. num. 15. & 16. Arias de Mesa variar. lib.

1. cap. 32. Valeron de transact. tit. 6. q. 3.
cum multis Faria in add. ad Covar. lib. 1.
var. cap. 4. num. 22. & seqq.

Quoad nostram quæstionem dicendum est, quod facultas relaxandi jura-
menta est penes Ordinarium, quo nomi-
ne continetur Archiepiscopus, vel E-
piscopus, Capitulum Sede vacante, Vi-
carius generalis, vel alij quasi Episcopa-
lem jurisdictionem obtinentes, ut ex
Hermosil. Sanch. Lugo tradit idem Faria
dicit. cap. 4 n. 32.

Vel pertinet ad Legatum à latere, vel 3
Nuntium cum ejus potestate. Pellizar. in
man. reg. tom. I. tract 6. cap. 2. n. 79. post
Paz. & Bolan. Faria dict. cap. 4. n. 34.

C A P U T X C I I .

Vtrum Legatus à latere, aut Nun-
tius cum ejus potestate ha-
beant autoritatem confirman-
di electiones Archiepiscopo-
rum, Episcoporum, & exem-
ptorum Abbatum, aut aliorum
Prælatorum, quorum confir-
matio ad Romanum Pontifi-
cem pertinet, etiam contradic-
cente Archiepiscopo aut Epis-
copo ; & cognoscendi de du-
bijs circa illas.

SUMMARIUM.

- i** Utrum Nuntius, aut Legatus possit confirmare elect:ones.

IN hac materia est certum, quod Legatus de latere habet authoritatem confirmandi electiones Archiepiscoporum, Episcoporumve, & exemptorum Abbatum, aut aliorum Prælatorum, quorum confirmatio ad Romanum Pontificem pertineret: quod alijs Nuntijs, seu Legatis nisi ex speciali concessione non licet, ex textu *in cap. Si Abbatem, de elect. in 6. Kochier de jurisdict. ordinari.*

narr. in exemptos part 4. q 5. Aug. Barbos. de jure Eccles lib. 1 cap. 5. n. 74 eleganter loquendo in Nuntio Hispaniae cum potestate Legati à latere Aug. Barbos. vot. 39. n. 35. & 36. & per tot. & Fermosin. ad rubric. de elect. ad text. in cap. Quia propter 42. de electione, q. 4. per tot. ubi etiam tractat, an electio facta de quodam Religioso in Abbatem à Conventualibus vocalibus, quibus competit jus eligendi intra tres dies loco Abbatis demortui, possit nulla dici, eo quod Pater Generalis opponat sibi illud eligendi jus competere jure devoluti; & an lis super hoc meta sit supplantanda in prima instantia coram Illustrissimo Legato, Nuntio Pontificis in illis partibus existente; seu spectet ad ipsum Reverendum Patrem Generalem, aut solùm ad Romanum Pontificem? Et nunc à Conventualibus electis interim dum lis durat competit manutentionis jus: & ibi multos DD. refert.

lium Tridentinum de reformatione cap. 5. & aliæ dispensationes, & absolutiones, & monitoriales, & causarum criminallium commissiones, iuxta Concil. fess. 13. de reform. cap. 2. Garcia de benefic. 6. part. cap. 2. num. 58.

Aliæ sunt commissiones, quæ non solum fiunt, & dirigi solent Ordinarijs, sed etiam alijs personis in dignitate constitutis, ut exequutiones gratiarum beneficiorum in forma gratiofa, aut in forma commissaria, non tamen in forma dignum; & exequutiones pensionum, & delegationes causarum, & litium, prout testatur Garcia ubi proximè, & ibi sub dict. num. 58. vers. Sed restat, latè examinat quæstionem, & pro utraque parte refert multos DD. & tenet Nuntium non potuisse, nec posse nec per se, nec per alium exequi, & expedire dictas litteras, nec se in ijs intromittere, quia commissio, & literæ de eo non cantant: & ex capite 2. de offi. Legat. ubi quod in causa specialiter delegata à Papa Legatus se intromittere non potest: & ibi Glossa, & Abbas, & alij, & Sahagun de offic. Legat.

Et idem Garcia ibi, & vers. Et tandem, respondet ad contraria, & est vindicandus de hac materia, & etiam Leo in thesaur. fori Ecclesiæ, cap. 22. num. 60. 61. & 62.

C A P U T XCIII.

Vtrum Nuntius Apostolicus possit exequi literas Apostolicas in prima instantia directas Archiepiscopo, aut Episcopo ordinario, sive in forma gratiofa, sive in forma dignum, seu dispensationis.

S U M M A R I U M.

I *Utrum Nuntius possit exequi literas Apostolicas in prima instantia.*

I **D**E hac materia diximus circa similes commissiones forens. resolut. cap. 18. & ultra ea advertendum est, quod quædam commissiones sunt, quæ de stylo Romanæ Curiæ solùm fiunt, & dirigi solent Ordinarijs, non alijs, ut gratiæ in forma dignum, iuxta constitutionem Pij V. 1602. & dispensationes matrimoniales, juxta Sanctum Concilium Tridentinum de reformatione cap. 5. & aliæ dispensationes, & absolutiones, & monitoriales, & causarum criminallium commissiones, iuxta Concil. fess. 13. de reform. cap. 2. Garcia de benefic. 6. part. cap. 2. num. 58.

Vtrum si familiares Legati à latere, exempti, aut Nuntij delinquent in beneficio aut officio, aut in aliqua materia, possint conveniri, aut puniri ab Archiepiscopo, aut Episcopo, etiam contradicente Legato à latere, aut Nuntio; & an gaudient eorum privilegio.

S U M M A R I U M.

I *Legatus à latere potest plus contra exemptos.*